



# Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD

This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

<http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks>



This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.

987  
6

D162.

TAYLOR INSTITUTION.

—  
*BEQUEATHED*

TO THE UNIVERSITY


BY

ROBERT FINCH, M. A.

*OF BALLIOL COLLEGE.*

2984 e. 6





PHAEDRI  
AUGUSTI LIBERTI  
FABULARUM  
AESOPIARUM  
LIBRI QUINQUE.

PUBLII SYRI ALIORUMQUE  
VETERUM  
SENTENTIAE.

CUM NOTIS INTEGRIS  
RICHARDI BENTLEII,  
SELECTIS ALIORUM,  
QUIBUS ET SUAS ADDIDIT  
FRID. HENR. BOTHE.

---

LIPSIAE,  
SUMTU E. B. SCHWICKERTI  
MDCCCIII.



---

## PRAEFATIO EDITORIS.

**P**haedrum correctum nitidumque dare, non tot mendosorum squalidorumque exemplarium numerum augere, animus fuit. Vide, Lector erudite, quid praestiterimus. Id certe boni consulturos spero omnes ingenuos, quod hac nostra opella magis divulgabuntur per Germaniam Bentleji in Phaedrum annotationes, quae, quamvis quasi aliud agendo natae, minime tamen (quidquid ogganniat livor) elegantissimo Viri ingenio indignae sunt, idque poterunt efficere, quod sane operae pretium existi-



---

mo, ut a puerorum, fere infantium, sub-  
felliis ad juvenum et virorum studia revo-  
cetur, dignitatisque suae restituatur, Aesopi  
aemulator felicissimus. Scribebam Magde-  
burgi, die 5. Aprilis 1803.

---

### ERRATA.

- Pag. 2. v. 12. leg. hércle.  
— 6. v. 1. l. *vasti corporis*, divifim.  
— 23. in extrema annotat. ad v. 10. l. *intelligas*, *porinde est*.  
— 40. in fine annotationis ad v. 39. scrib. *Ed*.  
— 43. L. 3. fab. 3. v. 1. punctum pone post *veracior*.  
— 58. v. 19. ita diftinguendum: *Sic, v. q. n.,*  
Mox leg: *quercus Iovi*.  
— 102. v. 28. l. *item*.
-

---

---

R. BENTLEII PRAEFATIO.

LECTORI SALUTEM.

Quod Phaedri fabulas et Publii Syri Sententias Terentii Editioni subjunxerim, ea partim causa erat, quod hi soli praeter Plautum et fragmenta quaedam aliorum nunc exstant, qui eadem qua Terentius Licentia in Senariis sint usi; partim quod hi tres pari conditione Liberti et Peregrini, in non ita dissimili argumento, Comoediis, Mimis et Apologis, omnia Italorum ingenia facile superaverint; partim quod post egregias plurimorum operas adhuc incurata restarent non pauca ab indoctis Librariis inflicta vulnera, quibus ipse mihi videbar posse medicari. Phaedrum sane quod attinet; duo tantum, ut credibile est, hodie supersunt ejus operis Exemplaria, mutila illa et ex eodem Apographo descripta, tam negligenter ac vitiose, ut versiculorum numerum mendorum copia videatur excedere. Ceterum quae in Notulis nostris ex istis Exemplaribus lectiones producuntur, ea celeberrimorum virorum, *Pithoei, Rigaltii, Gudii, Heinsii*que, qui aut Membras ambas aut earum alteram versaverunt, fide constant. Notae autem ad luculentam illam doctissimi

---

amicissimique *Petri Burmanni* Editionem exactae sunt, quae A. D. MDCCXVIII. cum integris multorum Commentariis bonae frugis plenissimis prodiit. Ubicumque igitur ab illius Textu noster diversus abit; ea de re Lector in Notis admonitus utramque sub uno conspectu editionem habebit. Porro in emendationibus nostris proponendis, Brevitatis laudem, qua Phaedrus ipse tantopere se effert, studio sectati sumus: contenti fere rationem correctionis uno verbo indicasse; nonnumquam ne uno quidem; studiosis, qui post me mea probabunt, eam provinciam relinquens. Publianae autem Sententiae in plerisque Manuscriptis quasi *Senecae* feruntur. Quattuor codices nos ipsi versavimus in Bibliothecis, Cottoniana et Collegiorum apud nos Trinitatis, Caii et Sidneii. Quintum in Bibliotheca consuluit eruditissimus Juvenis, qui ad avitam laudem strenue festinat, *Abrahamus Gronovius*. Ceterum, etiam in Scriptis Codicibus, secundum Alphabeti ordinem Sententiae collocantur: quae in Gruteri editione, nescio unde prolatae, sunt numero octingentae et plus quinquaginta: quarum pars major neque in Codicibus nostris comparent, neque quicquam Publani coloris saporisve in se habent. Eas nos, ut vel lectu indignas, ab Editione hac ejecimus: quae vero acumine se suo ac Venere et Metri concinnitate commendant, Lectori hic exhibemus.

---

TESTIMONIA DE PHAEDRO,  
MARTIALIS, Ep. III, 20.

DIC, Musa, quid agat Canius meus Rufus?  
Utrumne chartis tradit ille victuris  
Legenda temporum acta Claudianorum?  
An quae Neroni falsus adstruit Scriptor?  
\*) An aemulatur improbi jocos PHAEDRI?  
Lascivus Elegis, an severus Herois,  
An in Cothurnis horridus Sophocleis? etc.

AVIENUS, PRAEFATIONE AD FABULAS  
AESOPIAS.

Hujus materiae ducem nobis *Aesopum* nove-  
ris: — quas Fabulas Graecis Jambis *Babrias*  
repetens in duo volumina coartavit: PHAE-  
DRUS etiam partem aliquam Quinque in  
libellos resolvit.

\*) Ad Phaëdrum nostrum et ad has Fabulas Martialem hic respicere,  
vel inde contra nonnullorum sententiam constabit; quod *Jocos*  
appellet. Sic enim de his libellis ipse Phaëdrus:

Prol. 1. *Fictis joculari nos meminere fabulis.*

Prol. 2. *Quicumque fuerit ergo narrandus jocus.*

Prol. 3. *Calumniamque fictis elusit Jocis.*

Prol. 4. *Joculari hoc tibi videtur: et sane rei  
Dum nihil habemus majus, calamo ludimus.*

IV, 6. *Et hoc Jocorum legere fastidis genus.*

*Improbum* autem cur Phaëdrum vocet, facile is intelliget, qui fa-  
bularum III, 3 de Aesopo et Rustico; IV, 13 et 14 de Prometheo;  
IV, 17 de Canum legatis legerit: quales fortasse plures ab  
Auctore scriptae sunt, sed a Librariis Christianis rejectae.

## INDEX FABULARUM.

Aesopus ad Garrulum	3, 19.
Aesopus ludens	3, 14.
Aesopus et petulans	3, 5.
Aesopus et rusticus	3, 3.
Anus ad amphoram	3, 1.
Anus diligens virum aetatis mediae, item Puella	2, 2.
Apes et fuci, Vespasiana iudice	3, 13.
Aquila, cornix et testudo	2, 6.
Aquila, felis et aper	2, 4.
Arbores in Deorum tutela	3, 17.
Afinus ad senem pastorem	1, 15.
Afinus et Galli	3, 20.
Afinus et leo venantes	1, 11.
Afinus irridens aprum	1, 29.
Caesar Tiberius ad atriensem	2, 5.
Calvus et musca	5, 3.
Calvi duo	5, 6.
Canes famelici	1, 20.
Canis et corcodilus	1, 25.
Canis ad agnum	3, 15.
Canis et lupus	3, 7.
Canis et venator	5, 10.
Canis fidelis	1, 23.
Canis per fluvium carnem ferens	1, 4.
Canis parturiens	1, 19.
Canis et thesaurus, et vulturius	1, 27.
Canum legati ad Jovem	4, 17.
Capellae et hirci	4, 15.
Cervus ad fontem	1, 12.
Cervus et ovis	1, 16.
Cervus et poves	2, 8.
Cicada et noctua	3, 16.
Demetrius et Menander	5, 1.
Equus et aper	4, 3.
Eunuchus ad improbum	3, 11.
Formica et musca	4, 23.
Frater et foror	3, 8.
Fur aram compilans	4, 10.
Gallus ad margaritam	3, 12.
Graculus superbus et pavo	1, 3.
Gubernator et nautae	4, 16.
Hercules et Flutus	4, 11.
Homo et afinus	5, 4.
Homo et canis	2, 3.
Homo et colubra	4, 18.

---

Leo et praedator	-	-	2, 1.
Leo regnans	-	-	4, 12.
Leo senex, aper, taurus et asinus	-	-	1, 21.
Lupus et agnus	-	-	1, 1.
Lupus et gruis	-	-	1, 8.
Lupus et vulpes, iudice finib	-	-	1, 10.
Medicus ex futore	-	-	1, 14.
Miluis et columbae	-	-	1, 31.
Mons parturiens	-	-	4, 22.
Muli et latrones	-	-	2, 7.
Mulier parturiens	-	-	1, 18.
Musca et mula	-	-	3, 6.
Mustela et homo	-	-	1, 22.
Mustela et mures	-	-	4, 1.
Mustelarum et murium pugna	-	-	4, 5.
Occasio depicta	-	-	5, 8.
Ovis, canis et lupus	-	-	1, 17.
Panthera et pastores	-	-	3, 2.
Passer et lepus	-	-	1, 9.
Pavo ad Junonem	-	-	3, 18.
Perae vitiorum duae	-	-	4, 9.
Princeps tibicen	-	-	5, 7.
Prometheus	-	-	4, 14.
Rana et bos	-	-	1, 24.
Ranae ad solem	-	-	1, 6.
Ranae metuentes taurorum proelia	-	-	1, 30.
Ranae regem petentes	-	-	1, 2.
Scurra et rusticus	-	-	5, 5.
Simii caput	-	-	3, 4.
Simonides a diis servatus	-	-	4, 24.
Simonidis naufragium	-	-	4, 21.
Socrates ad amicos	-	-	3, 9.
Taurus et vitulus	-	-	5, 9.
Vacca, capella, ovis et leo	-	-	1, 5.
Viatores et latro	-	-	5, 2.
Vipera et lima	-	-	4, 7.
Vulpes et aquila	-	-	1, 28.
Vulpes et ciconia	-	-	1, 26.
Vulpes et corvus	-	-	1, 13.
Vulpes et draco	-	-	4, 19.
Vulpes et hircus	-	-	4, 8.
Vulpes et uva	-	-	4, 2.
Vulpes ad personam tragicam	-	-	1, 7.

---

---

**VITA PHAEDRI, EX PHAEDRO MAXIME,**  
concinnata a Daniele Hartnacco, Pomerano, qui  
edidit has fabulas anno 1696, pluribus tamen,  
quae inutilia videbantur, omiſſis, paucis additis.

**P**haedrus, natione Thrax (3, prolog. 55.), captus for-  
taſſe ab Octaviano, bello contra Thracas geſto (Sueton.  
in Auguſto cap. 3. med.), ab eoque poſt, cum imperio  
potitus eſſet, libertate donatus (ſecundum inſcriptionem  
harum fabularum in antiquis codicibus), quo imperante  
cum primis floruit (3, 11, 8 et 39.), ſub Tiberio autem  
graviter preſſus a Sejano (3, 1, 41.) neque iudices aequos  
nactus (4, 25, 22.), fabularum integumentis injurias ſibi  
factas involvit (3, prolog. 34.), opusque ſuum Eutycho  
(ib. et 4, 25.), Particuloni (5, 5, 43.), Phileto, (5, 10,  
extr.) ſuis in aula Tiberiana patronis dedicavit.

Illius meminerunt inter veteres ſcriptores Martialis  
tantum, aequalis, Epigramm. 3, 20., et Avienus, qui  
circa ann. Chriſt. 400. vixit, in praefatione fabularum ad  
Imperatorem Theodoſium juniorem. Quamvis vero dein-  
ceps eruditae haec Phaedri opuscula non omnino fuerint  
ignota, primus tamen publico redonavit ea, ſub ipſum  
vitae exitum, (Thuan. Hiſtor. lib. 117. A. 1596. pag. 703.)  
Petrus Pithoeus, Gallus, Auguſtobonae Tricaſſium natus  
familia nobili, vir et probitate morum et ingenio doctri-  
naeque multifaria inſignis, qui diem obiit Novembri  
1596.

Editiones Phaedri recensere longum eſt, et fecerunt  
hoc alii. Optimae haud dubie, ſeu verborum elegantiam  
explicatam, ſeu reſtitutam lectionum veritatem respicias,  
ſunt Petri Burmanni et Richardi Bentleji.

---

---

---

PHAEDRI AUG. LIBERTI  
FABULARUM  
AESOPICARUM  
LIBER PRIMUS.

PROLOGUS.

Aesópus auctor quám materiam réperit,  
Hanc égo polivi vérsibus senáriis.  
Duplex libelli dós est, quod risúm movet,  
Et quód prudenti vítam consilió monet.  
Calúmniari sí quis autem vóluerit, 5  
Quod et árbores loquántur, non tantúm ferae;  
*Fictis* jocari nós meminerit *fábulis*.

---

FABULA I.

LUPUS ET AGNUS.

Ad rívum eundem lúpus et agnus vénerant,  
Siti compulsi: súperior stabát lupus,  
Longéque inferior ágnus: tunc fame improba  
Latro incitatus júrgii caussam íntulit.  
Cúr, ínquit, turbuléntam mihi fecísti aquam, 5

6) *Quod arbores l.* Repone *Quod et arb.* hoc est, *Etiam arbores.*

I.

3) *Fame improba.* Ex scriptt. Codd. (pro *fame*) unus *Fauce*, aliter *Face*. Neutrum placet. Cum enim *Incitatus* dixeris, intelligas oportet *affectu aliquo vel appetitu*. Recte, opinor, Rittershusius reposuit, *fame*.

Virgil. Aen. II. (v. 355).

*Inde lupi ceu*

*Raptores atra in nebula, quos improba ventris  
Exegit caecos rabies.*

5) *Cur, i., t. fecisti mihi Aquam b.*

Libb. scrr. et edd. prince.

*Cur, ínquit, turbulentam mihi fecisti aquam  
Istam bibenti?*

Qui *Aquam* hinc ejecerunt, subintelligi eam commode posse existimabant. Atqui post *Rivum eundem*, dixisset opinor Phaedrus

A



Obstans bibenti? Lániger contrá timens:  
 Qui póssum, quaeso, fácere quod quereris, Lupe?  
 A té decurrit ad meos hauftús liquor.  
 Repúlfus ille véritatis víribus,  
 Ante hós sex menses, aít, maledixisti mihi. 10  
 Respóndet agnus: équidem natus nón eram.  
 Pater hércule tuus, ille inquit, maledixit mihi.  
 Atque ita correptum, lácerat injustá nece.  
 Haec própter illos scripta est homines fábula,  
 Qui fictis caussis innocentes ópprimunt. 15

## FAB. II.

## RANAE REGEM PETENTES.

Athénæ quum florérent aequis légibus,  
 Procáx libertas cívitatem míscuit,  
 Frenúmque solvit prístinum licéntia.  
 Hinc cóspiratis fáctionum pártibus,  
 Arcém tyrannus óccupat Pisistratus. 5  
 Quum trístem servitútem flerent A'ttici,  
 Non quía crudelis ille, sed quoniám grave  
 Omníno insuetis ónus, et coepíssént queri:  
 Aesópūs talem tùm fabellam rétulit.  
 Ranae vagantes líberis palúdibus, 10

*Turbulentum istum.* Sed nec *Istum* neque *Istam*, ut sit *δεικτικόν*, locum hic habet; cum agnus *longe* inferior staret. Repone, C. i. t. mihi fecisti aquam, *Obstans* bibenti. — Sic Graecus Neveleti Fab. 232. Ἠτιάσατο αὐτὸν, ὡς θολᾶντα τὸ ὕδωρ, καὶ πίνειν αὐτὸν μὴ ἐῶντα.

11) *Respondit agnus.* Lege, ut verba hic cetera praesenti tempore, *Respondet agnus.*

12) *Hercule* versus gratia reposuit Rigaltius. Nam codd. *Hercle*. Lege, P. *hercle tum* tuus, inq. m. m.

*Tum* absorptum est a syllaba sequente.

[Designatio loquentis personae magis necessaria mihi videbatur. Ed.]

13) *Lac. inj. n.* male Latine hoc dicitur. Lege, *Mactat*, immolat. Noster IV, 5. *Mures immolatos avidis dentibus.*

[*Lacerat* est pro composito *dilacerat*. *nex* vero Phaedro videtur idem valere ac *caedes*, (vid. 2, 8, 2.) cum utrumque ab activo verbo ductum sit. Sensus est, inquit Schefferus: *lacerat eum, ut sequeretur nex.* *Burmann.*]

Clamóre magno Régem petiere á Jove,  
 Qui díssolutos móres vi compésceret.  
 Patér Deorum rísit, atque illis dedit  
 Parvúm tigillum; míssum quod subitó vadis  
 Motú sonoque térruit pavidúm genus. 15  
 Immérfae limo cúm laterent diútius,  
 Forte úma tacite prófert e stagnó caput,  
 Et éplorato rége cunctas évocat.  
 Illaé timore pósito certatim ádnatant,  
 Lignúmque supra túrba petulans ínfilít: 20  
 Quod quum ínquinassent ómni contumélia,  
 Aliúm rogatum régem misere ad Jovem,  
 Inútilis quoniam éffet qui fuerát datus.  
 Tum mísit illis hydrum, qui dente áspero

## II.

14) *Vadi.* Quo missum est? cur hoc tacetur? Codex alter, *Vadis.*

Recte. *Missum vadis*; ut Horatii:

Jam satis terris nivis atque dirae  
 Grandinis misit pater.

16) *Hoc mersum limo cum jaceret diutius.*

Quomodo mergi potuit lignum aqua levius? aut si semel limo  
 mersum est, cur non ibi permansit? aut cur rana exploratrix e  
 stagno caput profert, si rex in fundo videndus esset? Repone,

*Immersae l. c. laterent d.*

De ranis haec accipienda, non de *Tigno*. Et sic olim legit Scrip-  
 tor a Nilantio editus, qui Phaedri scriinia compilavit, Fab. XXXI.  
*Jupiter dedit eis Tigillum, quod subito missum levi [An lacui? Ed.]*  
*motu sonoque terruit pavidum genus.* Merfae limo cum laterent  
 diutius, forte una tacite profert amne caput. Et sic Graecus Ne-  
 veleti, Fab. 170. *ξύλον εἰς τὴν λίμνην καθῆκε, καὶ οἱ Βά-*  
*τραχοὶ πρῶτον καταπλαγέντες τὸν ψόφον, εἰς τὰ βάθη τῆς*  
*λίμνης ἔδυσαν.*

20) *Tignumque s. t. p. i.*

*Tignum* ex conjectura dederunt Gudius atque Heinsius; quia  
 paulo ante *Tigillum* dicitur. At codex uterque *Lignum*. Recte.  
 Rex ille, tot modis spretus contemptus, etiam vocabulo ut *Ligneus*  
 fastiditur. *Tignum* vero majestatis quid habet, prae illo altero  
*Parvum tigillum*. Graecus hic *ξύλον, lignum*.

22) *Alium rogantes regem m. ad J.*

Si ranae ipsae rogassent regem, sive (ut v. 11.) *clamore regem pe-*  
*tissent*, quid opus erat, ut ad Jovem mitterent legatos? Repone,

*Alium rogatum regem m. ad J.*

hoc est, misere qui rogarent alium regem. Ita infra IV, 17. *Ca-*  
*nes misere ad Jovem, oratum, etc.*

Corripere coepit singulas. Frustrá necem 25  
 Fugitánt inertes, vócem praecludit metus.  
 Furtim igitur dant Mercúrio mandata ad Jovem,  
 Adflíctis ut succúrrat. Tunc contrá Deus:  
 Quia nóluistis véstrum ferre, inquit, bonum,  
 Malúm perferte. Vós quoque, o civés, ait, 30  
 Hoc sústinete, május ne veniát malum.

## FAB. III.

## GRACULUS SUPERBUS ET PAVO.

Ne glóriari libeat alienis bonis,  
 Suó quin potius hábitu vitam dégere,  
 Aesópus nobis hóc exemplum pródidit.  
 Tuméns inani Gráculus supérbia,  
 Pennás, Pavoni quae deciderant, sústulit, 5  
 Seque éxornavit: deinde contemnéns suos,  
 Immíscet se pavónum formosó gregi.

## III.

2) *Suoque potius h. v. d.*

Illud *Que* perinde hic fuerit ac *Sed, At, Verum*. [Atque non ita raro, apud alios quoque scriptores, in primis Tacitum, particulae conjunctivae, *Et, Atque*, oppositioni inserviunt: quo nomine (ut unum exemplum proferam) illud Taciti (Hist. V, 6, in fine) *et* (pro *sed*) egerentibus inexhaustum, defenditur a VV. DD. *Que* rarius eandem significationem accipit. Exstat tamen apud Columellam (V. c. 8.) locus, ab Horatio Turfellino (voce *que*) prolatus, qui apprime huc facit. *Olea, inquit, neque depressa loca, neque ardua, magisque modicos clivos amat, etc.* Huc pertinent etiam exempla *Et* vel *Que* pro *sed* usurpati, post *Ne*, qualia Nepotis (Eum. VII, 2, 3.) *illa suavit, ne se moveret*, et expectaret: item *Ne pateretur*, - - ferretque opem, quae protulit Doct. I. M. Heusinger ad h. l. *Ed.*] Recte Meurfius,

Suo quin potius h. v. d.

Terent. Add. II, 2, 14.

*Verum ego nunquam tam astutus fui,*

*Quin quidquid possem mallem auferre potius in praesentia.*

Haec scripseram, cum in Nilantiano Scriptore animadverti, Fab. XXVI. *Ne libeat gloriari bonis alienis; suis quin potius vivere malle.*

7) *Formoso se pavonum immiscuit gregi.*

Hoc a Gudio est, numeris non admodum venustis. Scripti hoc ordine verba exhibent: *Immiscuit se f. p. g.* Et scriptor Nilantianus: *Contemnens suos miscuit se formoso pavonum gregi. Repone,*

*Immiscet se f. p. g.*

*Immiscet tempore praesenti; ut mox Eripiunt, Fugant.*

Illi impudenti pennis eripiunt avi,  
 Fugantque rostris. Male multatus Graculus  
 Redire moerens coepit ad proprium genus, 10  
 A quo repulsus tristem sustinuit notam.  
 Tum quidam ex illis, quos prius despexerat:  
 Contentus nostris si fuisses sedibus,  
 Et quod natura dederat, voluisses pati,  
 Nec illam expertus esses contumeliam, 15  
 Nec hanc repulsam tua sentiret calamitas.

## FAB. IV.

## CANIS PER FLUVIUM CARNEM FERENS.

Amittit merito proprium, qui alienum adpetit.  
 Canis per flumen carnem dum ferret natans,  
 Lympharum in speculo vidit simulacrum suum:  
 Aliamque praedam ab alio cane ferri putans,  
 Eripere voluit: verum decepta aviditas, 5  
 Et quem tenebat ore, demisit cibum,  
 Nec quem petebat potuit adeo attingere.

## FAB. V.

## VACCA ET CAPELLA, OVIS ET LEO.

Nunquam est fidelis cum potente societas.  
 Testatur haec fabella propositum meum.  
 Vacca et Capella et patiens Ovis injuriae,  
 Socii fuere cum Leone in saltibus.

11) *Repulsae* malit Burmannus, ut v. ult., cum *nota* minus recte ponatur absolute, et *notam repulsae* dixisse Nostrum velut Cicero-  
 nem *nota turpitudinis*. Sic Ille. caeteroqui satis bene, nisi quod  
 insolite a quo conjungat cum *sustinuit*. Ed.

## IV.

4) *Aliamque p. ab alio f. p.*

Repone, quod et versus et sententia postulant [et Laurentius,  
 aliique dudum scribi iusserant, Ed.]

*A. p. ab alio cane f. p.*

[Sed ineleganter vox canis repetitur. quare malim

— *ab alio quo f. p.* Ed.]

7) *N. q. p. adeo potuit a.*

Numeri hi contra metrum peccant. Recte Ursinus, qui sic repo-  
 suit, N. q. p. potuit adeo a.

Hi quum cepissent cervum vasticorporis, 5  
 Sic est locutus, partibus factis, Leo:  
 Ego primam tollo, nominor quoniam Leo;  
 Secundam, quia sum fortis, tribuetis mihi;  
 Tum quia plus valeo, me sequetur tertia;  
 Male accipietur si quis quartam tetigerit. 10  
 Sic totam praedam sola improbitas abstulit.

## FAB. VI.

## RANAE AD SOLEM.

Vicini furis celebres vidit nuptias  
 Aesopus, et continuo narrare incipit.  
 Uxorem quondam Sol cum vellet ducere,

## V.

- 7) *Ego primam tollo, nominor quia leo.*  
 Sic et Nilantii liber,

*E. p. t. partem, q. nominor leo.*

Versus claudicat; Quia enim ubique posteriorem corripit. Piget autem referre febriculosas aliorum conjecturas. Neminemne sensisse, illud *nominor* in mendo cubare! Non eo ceteris feris excellit, quod *nominetur*, sed quod *fit* Leo: ut ne addam, quod non ubique gentium sic nominetur. Repone,

*E. p. t. nomine hoc, quia sum l.*

*Hoc nomine, eo nomine, quo nomine passim obvia sunt; id est, Hac causa, hoc jure, etc.* Cum autem *nomine hoc* semel immutatum esset in *Nominor*; consequens plane erat, ut *Sum* ex versu expungeretur.

[Nimis subtiliter ad veritatem leonis verba exigit Bentlejus, falsamque scriptoris mentem non affecutus est, nam nominibus rerum ducuntur mortales. Versui quidem lenius medendum fuit, nam saepius inter se commutantur *quia* et *quoniam*, velut infra 8, 2. 3. Ed.]

- 10) *Malo adficietur, f. q. q. t.*

*Malo adfici* frustra opinor quaeras apud bonos auctores. Repone,

*Male accipietur, f. q. q. t.*

hoc est, *male mulcabitur*. Nihil vulgatius.

## VI.

1. 2) *Vicini furis c. v. n. A. et c. n. i.*

Ita quidem Librarii; sed Auctor, nisi fallor, hoc modo,

*V. ut f. c. v. n.*

*A. sic c. n. i.*

*Sic narrare*, ut Lib. IV, 3. *Sic est locutus*. IV, 17. *Sic locutus traditur*. Cum semel excidisset *Ut*, quod in his Fabulis saepe evenisse comperies, pro *Sic* necessario substituebant *Et*.

- 3) *Uxorem quondam Solem velle ducere.*

Reponendum erat ex Manuscripto altero;

*Ux. q. Sol cum vellet d.*

ut infra XI,

Clamórem Ranae sústulere ad sídera.

Conuício permótus quaerit Júpiter

5

Caussám querelae: quaedam tum stagni íncola:

Nunc, ínquit, omnes únus exurit lacus,

Cogítque miseras árida sede émori:

Quidnám futurum est, sí crearit líberos?

## FAB. VII.

## VULPES AD PERSONAM TRAGICAM.

Personam tragicam fórte ut vulpes víderat,

O quánta species, ínquit, cerebrum nón habes!

Hoc illis dictum est, quibus honorem et glóriam

Fortúna tribuit, sénsu communem ábstulit,

## FAB. VIII.

## LUPUS ET GRUIS.

Qui prétium meriti ab ímprobis defíderat,

Bis péccat: primum quóniam indignos áduvat:

Impúne abire deínde quia jam nón potest.

Os dévoratum faúce cum haererét Lupo,

Magnó dolore victus coepit síngulos

5

Inlicere pretio, ut illud extraherént malum.

Tandém persuasa est júrejurandó Gruis,

Gulaéque credens cólli longitudinem,

Venari a fello comite *cum vellet Leo.*

Nisi hoc fiat, dicendum erit *Ranas sustulisse*, non *Ranae sustulere*; et sic in sequentibus.

## VII.

1. 2) *P. t. forte Vulpes v.*

*O quanta species, inquit, cerebrum non habet.*

Vides, opinor, arenam sine calce, et scopas dissolutas. Pro caemento ac vinculo adde *Ut*, et sic repone,

*P. t. f. ut V. v.*

*O qu. sp., inq., c. n. habes.*

## VIII.

4. 5) *Os dev. f. cum h. l. M. d. v. c. f. etc.*

In hac lectione deest ad constructionem *Is*, vel *Ille*. Repone,

*Os dev. f. cui haerebat, Lupus,*

vel potius,

*Os dev. f. cum haereret Lupo,*

Periculosam fecit medicinam Lupo.

A quo cum pactum flagitaret praemium:

Ingrata es, inquit, ore quae e nostro caput

Incolume abstuleris, et mercedem postules.

10

## FAB. IX.

## PASSER ET LEPUS.

Sibi non cavere et aliis consilium dare,

Stultum esse, paucis ostendamus versibus.

Oppressum ab Aquila ac fletus edentem graves

Leporem objurgabat Passer: Ubi pernitas

Nota, inquit, illa est, quid ita cessarunt pedes? 5

Cum loquitur, ipsum accipiter necopinum rapit,

Questuque vano clamitantem interficit.

Lepus semianimus: Mortis en solatium!

Qui modo securus nostra irridebas mala,

Simili querela fata deploras tua.

10

## FAB. X.

## LUPUS ET VULPES JUDICE SIMIO.

Quicumque turpi fraude semel innouit,  
Etiam si verum dicit, amittit fidem.

10) *Pro quo cum pactum flagitaret praemium.*

Codex unus et Editio princeps, *Pro quo cum facto*. Gudius ex altero codice, qui *Factum* habet, recte emendavit *Pactum*. Restabat aliud, quod corrigi oportuit; si enim *Pro* hic admittitur, utique reponendum erit *Pro qua*, scil. *Medicina*. Verum aliud quid ab Auctore est,

*A quo c. p. f. p.*

*A quo*, nempe Lupo. Utramque emendationem *A quo* et *Pactum* agnoscit et firmat Nilantii liber Fab. 74.

11) *Ore quae nostro caput*: Reponendum erat,

*Ore quae e n. c.*

## IX.

3) *Oppressum ab Aquila fletus e. g.* Hiantem sententiam sic adjuva:

*O. a. A. ac f. ed. g.*

8) *Mortis in solatio*. Sic vulgo, cujus lectionis germanitatem Burmannus (Epistola crit. de his Bentleji Notis) cum plerisque Doctis adhibens, correxit, Heinio praeunte: *Mortis en solatia*, vel *solatium*. Ed.

Hoc adtestatur brevis Aesopi fabula.

Lupus arguebat Vulpem furti crimine;

Negabat illa, se esse culpae proximam.

5

Tunc iudex inter illos sedit Simius.

Utérque causam cum perorassent suam,

Dixisse fertur Simius sententiam:

Tu non videris perdidisse quod petis:

Te credo subripuisse quod pulchre negas.

10

## FAB. XI.

## ASINUS ET LEO VENANTES.

Virtutis expers, verbis jactans gloriam,

Ignotos fallit, notis est derisui.

Venari Asello comite quum vellet Leo,

Contexit illum frutice, et admonuit simul:

Ut insueta voce terreret feras,

5

Fugientes ipse exciperet. Hic auritulus

Clamorem subito tollit totis viribus,

Novoque turbat bestias miraculo:

Quae, dum, paventes, exitus notos petunt,

Leonis adficiuntur horrendo impetu.

10

## X.

5) *Neg. i. f. e. culpae proximam.* Excidit vox, quae reponenda est,

N. i. f. e. c. huic p.

[Durissima emendatio, neque necessaria. Ed.]

8) *Dixisse fertur S. f.*

Iterum eandem vocem repone,

D. hanc f. S. f.

[Ita jam pridem Heinsius existimarat. Ed.]

## XI.

1) *Virtutis expers, verbis jactans gloriam.* Quid fodes est *Jactare gloriam verbis?* An gloriosa et magna verba? Dederat Auctor:

*Virtutis expers, verbis jactans Gloria*

*Ignotos fallit, etc.*

Sic supra IV.

Verum decepta aviditas

*Et quem tenebat ore demisit cibum. et 13.*

*Tum demum ingemuit corvi deceptus stupor.*

et 22. *servit utilitas sibi, Et meritum inane jactat imprudentibus.*

[Necessariam non puto correctionem. *Gloriam int. suam. Ed.*]

10) *Placet elegantior alterius codicis lectio, Adfliguntur. Ed.*



Qui póstquam caede féssus est, Asinum évocat  
 Jubétque vocem prémere: tunc ille insolens,  
 Qualis videtur tibi opera haec vocis meae?  
 Insignis, inquit, sic, ut, nisi nossém tuum  
 Animúm genusque, simili fugissém metu.

15

## FAB. XII.

## CERVUS AD FONTEM.

Laudátis utilióra, quae contémseris,  
 Saepe inveniri, téstis haec narrátio est.  
 Ad fóntem Cervus, quúm bibisset, réstitit,  
 Et in liquore vídit effigiém suam.  
 Ibi dúm ramosa mírans laudat córnua,  
 Crurúmque nimiam ténuitatem vítuperat,  
 Venántum subito vóci bus contérritus,  
 Per cámpum fugere coépit, et cursú levi  
 Canés elusit. Sílua tum excepít ferum,  
 In quá retentis ímpeditus córnibus  
 Lacerári coepit mórfibus saevís canum.  
 Tunc móriens, vocem hanc édidisse dicitur:  
 O me ínfelicem, quí nunc demum intélligo,  
 Utilia mihi quam fúerint, quae despéxeram;  
 Et quae laudaram, quántum luctus hábuerint.

10

15

## FAB. XIII.

## VULPES ET CORVUS.

Qui sé laudari gaudent verbis súbdolis,

## XII.

2) *Saepe inveniri, haec exserit narratio.*

Quid hic loci habet *Exserit*? Reponendum erat ex codice altero:

S. i., *testis haec n. est*;

ut supra:

*Hoc attestatur brevis Aesopi fabula,*

[Excusari potest *exserit*, nam hoc verbum non ita raro *demonstrare* significat, ut Suet. Tib. 33. *principem exseruit*. Ed.]

1.) *Ut illa mihi profuerint, quae despexeram.*

Melior est alterius Codicis lectio,

*Utilia mihi quam fuerint, q. d.*

Feré dant poenas túrpi poeniténtia.  
 Quum dé fenestra Córvi raptum cáseum  
 Coméſſe vellet, céſſa reſidens árbore,  
 Hunc vidit Vulpes, deinde fic coepít loqui: 5  
 O quí tuarum, Córve, pennarum éſt nitor!  
 Quantúm decoris córpore et vultú geris!  
 Si vócem háberes, núlla prior alés foret.  
 At ille dum etiam vócem vult oſténdere,  
 Emíſit ore cáseum, quem céleriter 10  
 Dolóſa Vulpes ávidis rapuit déntibus.  
 Tum démum ingemuit Córvi deceptús ſtupor,  
 [Hac ré probatur, quántum ingeniúm valet,  
 Virtúte et ſemper praévalet ſapiéntia.]

## XIII.

2) *Serae dant poenas turpes poenitentiae,*

Sic codex unus: sed perperam. *Poena enim poenitentiae,* ut *Poena sceleris, maleficii, stultitiae, temeritatis,* etc. esset *Poena* ob pravam poenitentiam; cujus scilicet postea poeniteret. Qui tamen sensus ab hoc loco alienissimus est. Rectius igitur, qui legunt *Sera poenitentia.* Sed adhuc in hac lectione displicet *Poenas turpes.* Codex alter, et editio princeps,

*Fere dant poenas turpi poenitentia.*

Recte, si quid mihi iudicii est. *Fere* est *Plerumque;* et sic in *ἐπιμυθίῳ* solet Noſter. Infra I, 29:

*Plerumque stulti risum dum captant levem,* et III, 16.

*Humanitati qui se non accommodat,*

*Plerumque poenas appetit superbiae.*

Quin et Nilantianus scriptor vestigium hujus lectionis servat, Fab. XV. *Qui se laudari verbis subdolis gaudent, serunt poenas turpi poenitentia.*

5) *H. v. v. dehinc sic occoepit l.*

Elegantior est alterius codicis lectio:

*H. v. v. deinde sic coepit l.*

9) *At i. stultus dum vult vocem ostendere,*

Unde illud *Stultus* huc pedem intulerit, nescio: certe malum pedem; nam in media fabula anticipat quod in exitu demum comparere debuit. Codex alter sic locum exhibet, *At i., dum etiam vult vocem ostendere latiore, emisit ore caseum.* Voluit, credo, Librarius *Elatiorem.* Sed fatis est, si vocem qualemcunque corvus ostendat, cum antea in fabula tacuerit. Repone;

*At i. dum etiam vocem vult o.,*

*Em. ore c.*

Nilantii liber: *Ille dum vult vocem ostendere latiore: illud Stultus non habet.*

13. 14) Versus spurii, nec numeris probis, nec oratione Latina, nec

## EX SUTORE MEDICUS.

Malus quum Sutor, inopia deperditus,  
 Medicinam ignoto facere coepisset loco,  
 Et venditaret falso antidotum nomine,  
 Verbosis adquisivit sibi famam strophis.  
 Hic quum jaceret, morbo confectus gravi,      5  
 Rex urbis, ejus experiendi gratia,  
 Scyphum poposcit, fusa dein simulans aqua  
 Antidoto miscere illius se toxicum,

sententia quicquam ad fabulam pertinente. Qui enim Corvo *Virtus* convenit, ut Vulpi *Sapientia*? an Corvus fortior Vulpe? Quid quod *Επιμύδιον* in principio Fabulae hic veniat, nec unquam geminetur? [Cf. Fab. XXVII. Ed.]

## XIV.

1) *Malus cum S. i. deperditus.*

Pessimum hic habemus Librariorum facinus. Quis enim, cui ullus Latinitatis sensus est, nedum Phaëdrus sic loquatur, *Inopia deperditus*? Ex verbis tamen, quae continuo sequuntur, *Ignoto loco*, sententia elucescit: qua semel visa, non difficile erat etiam verba invenire. Et primo quidem in mentem veniebat,

M. c. S., i. vertens solum,

Nisi enim solum vertisset fugissetque e civitate, qui potuit in *ignoto loco* medicinam profiteri? Sed quia literae nimium quantum a recepta lectione distabant; eadem quidem sententia, sed aliis verbis opus erat: atque illa se quaerenti non invita, sed ultro obtulerunt:

M. c. S. i. *proterritus*.

*Inopia proterritus*; plane ut in re eadem Plautus loquitur, *Trinummus* III, 2.

*Atque agrum dederis, nec quicquam hic tibi sit, qui vitam colas;*

*Effugias ex urbe inanis, profugus patriam deferas:*

*Mea opera hinc proterritum te meaque avaritia autument.*

et Terentius *Heaut.* III, 1.

*Primum olim potius quam paterere filium*

*Commetare ad mulierculam, quae paululo*

*Tum erat contenta, cuique erant grata omnia,*

*Proterruisti hinc.*

Hoc est, *Inopia proterruisti*; prorsus ut scena sequente,

*At quasi is non divitiis*

*Abundat, gnatus ejus profugit inopia.*

[Cum *perditus* (imo etiam *deperditus*) egestate, amore, luxu, benedicatur, de autem significationem simplicis verbi tantum augeat, Burmann. vulgatam retinet, cui adstipulor. Ed.]

5) *Hic*. Adverbium temporis, cujus significatio est *tunc*. *Heuf.*

Ebíbere jussit ípsum, posito praémio.  
 Timóre mortis ille tum conféssus est, 10  
 Non ártis ulla médicæ se prudéntia,  
 Verúm stupore vúlgi factum nóbilem.  
 Rex ádvocata cóncione haec édedit:  
 Quantaé putatis ésse vos deméntiae,  
 Qui cápita vestra nóñ dubitatis crédere, 15  
 Cui cálceandos némo commisit pedes?  
 Hoc pértinere ad illos vere díxerim,  
 Quorúm stultitia quaéstus impudéntiae est.

## FAB. XV.

## ASINUS AD SENEM PASTOREM.

In príncipatu cómmutando cívium,  
 Nil praéter domini nómen mutant paúperes.  
 Id ésse verum, párrva haec fabella índicat.  
 Aséllum in prátio quídám pascebát senex:  
 Is, hóstiúm clamóre subito térritus, 5  
 Suadébat Asino fúgere, ne possét capi.  
 At ille léntus, quaéso, num binás mihi  
 Clitéllas impositúrum victorém putas?

9) *Hoc bibere jussit ipsum, p. p.*

A codd. abest *Hoc. Lege,*

Ebibere j. i. p. p.

*Ebibere* est totum absorbere.

18) *Stultitia.* Primus casus, si Gronovium et Anglum (anonymum, qui Bentlejanas Phaedri emendationes ad examen revocavit) audimus: sextus vero, Burmanni judicio, quod praefero. Multi *quaestui* conjecerunt. *Heuf.*

## XV.

4) *Asellum in prato timidus p. f.*

Cur obsecro *timidus*? an quia subito hostium clamore terrebatur? quasi vero *timidus* dicendus erat, qui unus et senex adversus integram cohortem stare non sustineret? Nihil ad fabulam, seu senex ille *timidus* sive *audax* fuerit: neque epitheto *χαρκτηριστικόν* ullus hic erat locus: Repone,

*Asellum in prato quidam pascebat senex.*

*Quidam*, ut III, 19. *Quidam e turba garrulus.* et II, 2. *Aetatis mediae quendam.* [Adde, III, 10. *Maritus quidam. Ed.*] Error hic ortus, quod Librarii compendia sectarentur, *Timid'*, *Quid'*. Mox v. 6. pro *Possent* lege *Possent*.

Senex negabat. Ergo, quid refert mea,  
Cui serviam, clitellas dum portem meas? 10

## FAB. XVI.

## OVIS, CERVUS ET LUPUS.

Fraudator hominem quum vocat sponsum improbum,  
Non rem expedire, sed malum dare expetit.  
Ovem rogabat Cervus modium tritici,  
Lupo sponse: ait illa praemetuens doli:  
Rapere atque abire semper adfuevit Lupus, 5  
Tu de conspectu fugere veloci impetu;  
Ubi vos requiram, quum dies advenerit?

## FAB. XVII.

## OVIS, CANIS ET LUPUS.

Solent mendaces lúere poenas málefici.  
Calumniator ab Ove quum peteret Canis,  
Quem commodasse panem se contenderet,  
Lupus citatus testis, non unum modo  
Deberi dixit, verum affirmavit decem. 5  
Ovis damnata falso testimonio,  
Quod non debebat, solvit. Post paucos dies  
Ovis ut jacentem in fóvea conspexit Lupum:  
Haec, inquit, merces fraudis a superis datur.

## XVI.

- 1) *Fraudator, nomen cum locat sponsum improbo,  
Non rem expedire, sed mala videre expetit.*

Haec corruptissima sunt; unde ampla conjecturarum seges exorta est. Codex alter ita exhibet: *Fraudator, homines cum avocatur sponse improbo.* Nihil verisimilius doctissimi Burmanni emendatione, *Cum vocat sponsum, ut Horat. Epist. II, 2. 67. Hic sponsum vocat, hic auditum scripta.* Verisimilis item illa Fred. Gronovii, *Malum dare, pro Malum videre.* Horum sententiae ipse accedo.

## XVII.

- 3) *Commodasse.* Hoc est, *mutuum dedisse.* Al. *commendasse,* quod de rebus custodiae alicujus creditis dicitur. *Heuf.*  
8) *Bidens jacentem in f. c. l.*  
Codex unus *Videns — prospexit;* alter *Ovis — conspexit.* Illud *Bidens* ab Heinsio est. Cum autem *Ovis* bis veniat, et supervaca-

## FAB. XVIII.

## MULIER PARTURIENS.

Nemó libenter récolit, qui laesit, locum.  
 Instánte partu Múlier áctis ménfibus,  
 Humí jacebat flébiles gemitús ciens.  
 Vir ést hortatus, córpus lecto réciperet,  
 Onús maturum mélius quo depóneret:  
 Miníme, ínquit illa, pósse confidó loco  
 Malúm finiri, quó conceptum est ínitio.

## FAB. XIX.

## CANIS PARTURIENS.

Habént infidias hóminis blanditiáe mali,  
 Quas út vitemus, vérsus subjectí monent.  
 Canís parturiens, quúm rogasset álteram,  
 Ut foétum in ejus túgurio depóneret,  
 Facile ímpetravit: deín reposcentí locum,  
 Precés admovit: témpus exoráns breve,  
 Dum firmiores póssset catulos dúcere.

neum prorsus sit; tanto deterius est *Bidens*, quanto affectatius.  
 Dedit, opinor, Phaedrus,

*Forte ut jac. in f. c. l.*

ut supra VII.

Personam tragicam *forte ut vulpes viderat.*  
 et III, 8.

*Ut speculum in cathedra matris forte inspexerat.*

[De omisso *ut facile convenio*, et hoc addo. Tã *ovis* autem repetitionem plane absurdam esse, praesertim in fabula, non contenderim. *Ed.*]

## XVIII.

5) *Onus naturae melius ut deponeret.*

Recte Heinsius *Onus maturum*: et piget Gudii, qui illud alterum tuetur.

6) *Minime, inquit, illo posse confido loco.*

Melior est alterius codicis Lectio,

*Minime, inquit illa, p. c. hoc l.*

*Illam mulierem inquit; alioqui Vir potius intelligatur, constructione, si non sensu.*

## XIX.

7) Illud *Ducere* magnam interpretibus molestiam creat. Sed sanus est locus. Hom. II. P. 133.

Hoc quoque consumto, ut flagitari validius  
Cubile coepit: Si mihi et turbae meae  
Par, inquit, esse poteris, cedam loco.

10

## FAB. XX.

## CANES FAMELICI.

Stultum consilium non modo effectum caret,  
Sed ad perniciem quoque mortales devocat.  
Corium depressum in fluvio viderunt Canes:  
Id ut comesse extractum possent facilius,  
Aquam coeperunt bibere: sed rupti prius  
Periere, quam quod petierant, contingerent.

5

## FAB. XXI.

## LEO SENEX, APER, TAURUS ET ASINUS.

Quicumque amisit dignitatem pristinam,  
Ignavis etiam iocus est in casu gravi.

Εἰσὴκει ὡς τίς τε λέων περι οἴσι τέκessιν  
Ὡ γὰ τε νήπι ἄγοντι συναντήσονται ἐν ὕλη  
Ἄνδρες ἐπακτῆρες.

Ubi νήπι ἄγοντι est verbum verbo, *Catulos ducenti*. Idemque est  
σκυμναγωγεῖν, *Catulos ducere*, ut παιδαγωγεῖν, γερονταγωγεῖν.  
Eustathius ad locum: Ἴσορῶσιν, ὅτι λέων ἀρῶν ἔσκυμναγωγεῖ.

- 8) *Flagitare validius*  
*Cubile coepit*. Utra quaeso duarum canum coepit flagitare? si  
sententiam spectas, *Canis tugurii domina*; si constructionem, *Ca-*  
*nis hospes*. Repone igitur,

Hoc quoque consumto, *flagitari ut validius*  
Cubile coepit.

*Flagitari*, a cane scilicet domina.

[Perspicuitatis causa, ut addidi post *consumto*. Ed.]

- 5) *Aquam coepere bibere*. Codex alter *Coepere ebibere*; quod viris  
doctis probari miror. Cum enim *Ebibere* id sit, quod *Totum bibere*,  
quem hic locum habet *Coepere*? Certe *Ebibere* non incipientis est,  
sed perficientis. Nitidior erit versus, hoc modo:

*Aquam coeperunt bibere*.

Nilantii liber Fab. II. ex Phaedro, *Aquam coeperunt lambere*.  
Forte is legerat,

*Aquam coeperunt lambere*: at rupti prius. *Lambere*, λάπτειν,  
proprie dictum de canibus, vulpibus, etc.

Confectus annis et desertus viribus  
 Leo quum jaceret, spiritum extremum trahens,  
 Apér fulmineis ad eum venit dentibus, 5  
 Et vindicavit ictu veterem injuriam:  
 Infestis Taurus mox confodit cornibus  
 Hostile corpus. A sinu ut vidit ferum  
 Impune laedi, calcibus frontem exerit.  
 At ille exspirans; Fortes indigne tuli 10  
 Mihi insultare: te, naturae dedecus,  
 Quod ferre cogor, certe bis videor mori.

## FAB. XXII.

## MUSTELA ET HOMO.

Mustela ab homine prensa, quum instantem necem  
 Effugere vellet: Parce, quaeso, inquit, mihi,  
 Quae tibi molestis muribus purgo domum.  
 Respondit ille: Faceres si causa mea,

## XXI.

3) *Defectus annis et desertus viribus.* De utroque versus membro litigant Interpretes. Nilantii liber, Fab. XVI. *Defectus annis et desolatus viribus.* Romulus Fab. XIV. Annosum leonem, viribus defectum. Dedit sine dubio Phaedrus, quod, nisi multum fallor, utroque est elegantius:

• *Confectus annis et defectus viribus.*

*Confectus annis, aeo, aetate, senio, senectute, passim occurrunt: et satis frequenter Defectus robore, viribus.* Lucanus III, 625. *Defectis robore nervis.* Seneca, Hippol. 375. *Vadit incerto pede, Jam viribus defecta.*

[Elegantem priorem recepimus conjecturam, ne his eadem particula inferretur. *Desertus* cum dativo etiam aliis usurpatur. Ed.]

- 9) *Calcibus frontem extudit.* Recte MS. alter, *Exerit.*  
 12) Non placet illud *Certe.* Melius utique dixisset, *Quod Sustinere cogor, vel, Quod ferre inultus cogor.*  
 12) *Quod ferre certe cogor, bis videor mori. certe.* Saltem interpretatur Burmannus, cui tamen nec inepta videtur altera lectio, *Quod ferre cogor, certe bis videor mori.* Heuf.

## XXII.

- 2) *E. v.: quaeso, inquit, parcas mihi.* Pro *Parcas* codices habent *Parce*, et Nilantii liber, *Rogo parce mihi*, quia a molestis muribus purgavi domum. Credo ab Auctore fuisse,  
 Effugere vellet: *Parce quaeso, inquit, mihi.*



Gratum esset, et dedissem veniam supplici: 5  
 Nunc quia laboras, ut fruaris reliquiis,  
 Quae sunt rosuri, simul et ipsos devores,  
 Noli imputare vanum beneficium mihi.  
 Atque ita locutus, improbam leto dedit.  
 Hoc in se dictum debent illi agnoscere, 10  
 Quorum privata servit utilitas sibi,  
 Et meritum inane jactat imprudentibus.

## FAB. XXIII.

## CANIS FIDELIS.

Repente liberalis stultis gratus est,  
 Rerum peritis irritos tendit dolos:  
 Nocturnus quum fur panem misisset Cani,  
 Obiecto tentans an cibo possit capi:  
 Heus, inquit ille, linguam vis praeccludere, 5  
 Ne latrem pro re domini? multum falleris;  
 Namque ista subita me jubes benignitas  
 Vigilare, facias ne mea culpa lucrum.

## FAB. XXIV.

## RANA RUPTA ET BOS.

Inops potentem dum vult imitari, perit.

12) *Jactat* conjiciebat Rittershusius. Vulgo *jactant*. Ed.

## XXIII.

2) *Verum peritis*. Nec *Verum* in hac distinctione, nec in sententia *Peritis* absolute positum, disertissimo Auctori convenit. Dedit, opinor, ille, *Rerum peritis*. *Rerum periti*, *rerum imperiti* passim occurrunt, ut usu periti.

4) *An cibo possit capi*. Rectius alii *Possit*.

5) *Heus si, inquit, linguam vis meam praeccludere,*

*Ne latrem pro re domini, multum falleris.*

Illud *Si* ab Heinio additum est: abest a manuscriptis; et merito: si distinctione sententiam adjuves:

*Heus, inquit, linguam vis meam praeccludere;*

*Ne latrem pro re domini? multum falleris.*

*Heus, inquit;* ut II, 5. *Heus, inquit dominus:* et III, 14.

*Heus, inquit, Sapiens, expedi quid fecerim.*

[Vix abesse potest pronomen; quare lubens rescripserim: *H.*; *inquit ille, ling. vis p. Ille* absorptum a seq. verbo. Ed.]

In práto quondam Rána conspexit Bovem,  
Et tácta invidia tántae magnitúdinis,  
Rugósam inflavit péllem: tum natós suos  
Intérrogavit, án Bove esset látior.

5

Illí negarunt. Rúrsus intendít cutem  
Majóre nisu, et simili quaesivít modo:  
Quis májor esset; illi dixerúnt, Bovem.  
Novíssime indignáta, dum vult validius  
Infláre sese, rúpto jacuit corpore.

10

FAB. XXV.

## CANIS ET CORCODILUS.

Consília qui dant práva cautis hómínibus;  
Et pérdunt operam et déridentur túrpiter.  
Canés currentes bibere e Nilo flúmine,

XXIV.

2) *In prato quodam.* Recte acutissimus Heinſius, *In p. quondam:* ut I, 6. et I, 28.

3) Tolle hunc versiculum, utpote spurium et κῶμῶδες. *Quis major* de duobus pro *Uter major.* Bis quidem vel ter in tota Latinitate *Quis* sic accipitur: sed loca mendii suspecta sunt. *Illi dixerunt bovem*, pro eo quod alius dixisset, *Bos*, ut Horat. Art. Poët. 328.

*Poterat dixisse Triens? eu!*

*Rem poteris servare tuam.*

Iam vero sententia ipsa quam sine nervis, sine venere? Cum ait Auctor; *Simili modo*, satis indicat, quid *Rana* quaesiverit; nec in re manifesta dubium, quid *Pulli* responderint.

— Sed et alibi Phaedrus *quis* pro *uter* dixit, velut lib. III. fab. 13, 14. et lib. IV. fab. 23, 2. quae loca, cum aliis, Anglús anonymus adnotavit. *Heuf.*

10) Nilantii liber Fab. XXXIII. *Novissime indignata, dum vult validius inflare sese, rupta interiit.* Unde fortasse est reponendum: *Inflare sese, rupto interiit corpore.*

*Causa varietatis scribendi compendium. Interit, Jacuit.*

XXV.

3) *Canes currentes bibere in Nilo flumine.*

Recte Rittershusius, *E Nilo:* ut Aelianus I, 4. de re eadem; *Ἐκ τῆς ποταμῆς πίνασιν, E fluvio bibunt;* non *ἐν τῷ ποταμῷ.* Et Nilantii liber Fab. XXXI. *Canes currentes ex Nilo flumine.* Miror eorum iudicium, qui *In Nilo* dictum volunt, ut *In paterna bibere; in auro, in ossibus capitum.* Quasi Nilus non pro poculento, sed

A Córcondilis né rapiantur, tráditum est.  
 Igitúr quum currens bíbere coepissét Canis,  
 Sic Córcondilus: quá lubet, inquit, ótio  
 Accéde, lambe, póta sedulo, ac dolum  
 Nolí vereri. At ille: facerem mehércule,  
 Nisi ésse scirem cárnis te cupidúm meae.

5

## FAB. XXVI.

## VULPES ET CICONIA.

(Nullí nocendum: si quis vero laésérít,  
 Mactándum simili více, fabella haec ádmonet.)

pro poculo acciperetur; quasi alveus fluvii Nilus diceretur, non aqua in alveo.

6) *Sic corcodilus: quamlibet lambe otio;*

*Accede, pota leniter et noli dolos,*

*Inquit, vereri.* Quis ferre potest illud. *Inquit, a capite sententiae tam longe remotum? scilicet ita viri docti edolaverunt scabra illa et incondita, quae in codicibus exstant: Lambe otio, pota, accede, noli timere sedulo ait, at noli vereri inquit. Recte Rigaltius; qui, laciniis istis exulare iussis, sic locum edidit:*

*Quamlibet lambe otio,*

*Noli vereri.*

Nilantii liber hoc tantum habet: *Dixit ei corcodilus, Quod libet labio tuo, noli vereri.* Ubi vides, *Labio tuo* natum esse ex *Lambe otio*. Tu pro *Quamlibet* repone *Qua lubet*, id est, *Ubicumque lubet*. Plautus Aul. IV, 4. *Agedum, excutedum pallium: tempta qua lubet.*

[Verisimiliora, ni fallor, nostra sunt. *Potare sedulo* opponitur *re* lambere in cursu vel celeriter. Ed.]

## XXVI.

1) *Nulli nocendum: si quis vero laeserit,*

*Multandum simili jure fabella admonet.*

Si haec excufferis, infra Phaedri elegantiam esse facile reperies. Non placet *Multandum*, nec quod Heinsius substituit, *Mulcandum*; neque *simili jure* est probi saporis. Repone,

*Mactandum simili vice fabella haec admonet.*

Sic *Mactare malo, damno, cruciatu, infortunio. Simili vice*, hoc est, simili poena, injuria. Horat. Carm. I, 28. *Vicesque superbae Te maneant ipsum.* Tacitus Hist. IV, 3. *Tanto proclivius est injuriae quam beneficio vicem exsolvere. Fabella haec, ut supra V. Testatur haec fabella propositum meum.*

[Mihi quidem totum promythium displicet; utpote superfluum, quum ciconia ipsa v. 12. summam fabulae breviter et melius etiam, nisi fallor, exponat. Saepissime autem in hoc quidem circa promythia et epimythia erratum est. Vid. fab. seq. Ed.]

Vulpés ad coenam dicitur Ciconiam  
 Prior invitasse, et liquidam in patina fictili  
 Posuisse sorbitionem, quam nulló modo 5  
 Gustare esuriens potuerit Ciconia.  
 Quae Vulpem quum revocasset, intrito cibo  
 Plenam lagenam posuit: huic rostrum inferens  
 Satiatur ipsa, et torquet convivam fame:  
 Quae quum lagenae frustra collum lamberet, 10  
 Peregrinam sic locutam volucrem accepimus:  
 Sua quisque exempla debet aequo animo pati.

## FAB. XXVII.

## CANIS, THESAURUS ET VULTURIUS.

(Haec res avaris esse conveniens potest,  
 Et qui humiles nati dici locupletés student.)  
 Humana effodiens ossa, Thesaurum Canis  
 Invenit, et violarat quia Manes Deos,  
 Injecta est illi divitiarum cupiditas, 5

4) *Prior invitasse, et illi in patina liquidam  
 Posuisse sorbitionem.*

Hic verborum ordo ab Heinio est; codd, enim habent, *Et illi liquidam in patina.* Lucretius quidem primam in *Liquidus* plerumque corripit, nonnumquam producit. Sed non idem jus sua aetate Phaedro, quod olim Lucretio. Crediderim auctorem sic dedisse:

*Prior invitasse et liquidam in patina fictili  
 Posuisse sorbitionem.*

*Patinam fictilem* ter quaterque habes apud Plinium. Ex *fictili* prodit *Illi*. Sed *Illi* hinc abesse debere, probat quod mox sequitur, *Intrito cibo Plenam lagenam posuit.* Scilicet patinam et lagenam ambabus simul fuisse positas, non hanc illi, huic illam. Nilantii liber: *Et posuit illi in scutella sorbitiunculam.*

## XXVII.

1. 2) Versus inepti et spurii. Quam inficete dictum *Haec res pro haec fabula?* Enimvero idem his versibus pater est, qui et illis Fab. XIII. *Hac re probatur, quantum ingenium valet,* etc. Neque vero iis fabula convenit, qui *dici*, sed qui *esse* locupletes student. *Επιμυθίς* locum suppleat Vulturii verba, *O Canis, merito jaces,* etc.

4) Codex unus *Violat*, alter *Violarat*. Retinendum hoc posterius; quod jure Gudio et Burmanno placebat.

Poenás ut sanctae réligioni pénderet.  
 Itaque aúrum dum custódit, oblitús cibi  
 Fame ést consumtus. Quém stans Vulturiús super  
 Fertúr locutus: ó Canis, meritó jaces,  
 Qui cóncupisti súbito regalés opes, 10  
 Trivió conceptus, éducatús stércore.

## FAB. XXVIII.

## VULPES ET AQUILA.

Quamvis sublimes débent humiles métuere,  
 Vindícta docili quía patet solértiae.  
 Vulpínos catulos A'quila quondam sústulit,  
 Nidoque posuit púllis, escam ut carperent:  
 Hanc pérsecuta máter orare incipit, 5  
 Ne tantum míserae lúctum importarét sibi.  
 Contémfit illa, túta quippe ipsó loco.  
 Vulpés ab ara rápuit ardentém facem,  
 Totámque flammis árborem circúmdedit,

11) *Trivio conceptus, et educatus stercore.*

Tam vèrsu, quam sententia volente, sic repones:

*Trivio conceptus, educatus stercore.*

## XXVIII.

4) *Nidoque posuit pullis escam ut carperent.*

Si, ut oportet, post *Posuit* subdistinguis, syntaxis est vitiosa, *Pullis* pro *Pulli*. Inde factum, ut Heinsius substitutum iret *Carperet*. Dedit, opinor, Auctor,

*Nidoque posuit, pullis escam ut conderet.*

*Condere cibos, fructus, frumentum*, et alia id genus, saepe habemus. Posuit catulos in nido, ut paratam haberet escam, cum pulli esurirent. Certe aquilam sustulisse catulos, ut *reservaret*, non ut statim *carperet* et *laceraret*, vel inde cognosces, quia post aliquod tempus *incolumes* eos matri reddidit.

[Displicet Magni viri conjectura, propter *ταυτολογίαν*, quam infert sententiae. Quid enim est *condere*, nisi *reponere*? Vid. Burmanni Epist. crit. de his Bentleji adnotationibus. *Ed.*]

7) Ne laxius cohaereant membra, corrigam,

Cum temfit illa, tuta quippe ipso loco,

*Vulpes*, etc.

Virg. Aen. VI, 620.

Discite justitiam moniti, et non temnere Divos.

Hostis dolore damnum ulciscens sanguinis. 10  
 Aquila ut periclo mortis eriperet suos,  
 Incolumes natos supplex Vulpi tradidit.

## FAB. XXIX.

## ASINUS IRRIDENS APRUM.

Plerumque stulti risum dum captant levem,  
 Gravi disfringunt alios contumelia,  
 Et sibi vicissim concitant periculum.  
 Asellus Apro quem fuisset obvius:  
 Salve, inquit, frater! Ille, indignans, repudiat 5  
 Officium, et quaerit, cur sic mentiri velit.

10) *Hosti dolorem damno miscens sanguinis.*

Haec corruptissima esse prima fronte se produnt. Repone,

*Proprii dolorem damno ulciscens sanguinis.*

Valer. Max. II, 10. *Sed et rex, et laceffitus, majestatem excellentissimi Viri venerari, quam dolorem suum ulcisci maluit.* Ovid. de Philomela,

*Quae proprii damno sanguinis ulta virum est.*

Mirum est, acutissimos viros, quibus haec loca ante oculos erant, emendationem istam non perspexisse. Vulpes dolorem suum ultum ibat, vel priorum catulorum incendio; quos adhuc vivos esse sciebat ex vocibus eorum ac querelis. *Hosti, ppi*; sic olim compendio scribebant.

[Hanc quoque conjecturam fateor non ita certam mihi videri, ut in textum recipere quam aliam medicinam circumspicere malim. De *ulciscens* quidem convenio; *Proprii* autem luscum quodammodo facit sententiam, cum, per verborum quidem compositionem, ad *dolorem* pertinere possit. Deinde, quomodo probabit Bentlejus, Vulpi de incolumitate catulorum persuasum fuisse? Ex fabula ipsa certe minime; neque hoc sua sponte probabile est. Quae cum ita sint, equidem sic corrigendum locum arbitror:

*Hostis dolore damnum ulciscens sanguinis.*

In verbo *damnum*, five *jacturam* (quod malim) five *detrimentum*, perinde est, intelligas. Ed.]

## XXIX.

3) *Et sibi nocivum concitant periculum.*

Dubium adhuc est, an vox *Nocivus* Latinitate aut R. civitate donata sit. Uno tantummodo hoc loco et Plinii altero jus suum tuetur. Sed hic quidem non placet, cum iners et ineptum Epitheton fit: nec quisquam dixerit *noxium*, adeo nec *nocivum periculum*. Repone,

*Et sibi vicissim cont. per.*

*Aliena vice contumeliam, sua periculum.*

Afinus, emisso pene: similem si negas  
 Tibi me esse, certe simile est hoc rostró tuo.  
 Apér generosum véllet cum facere ímpetum,  
 Représsit iram, et: Fácilis vindicta ést mihi, 10  
 Sed inquinari nólo ignavo sáanguine.

## F A B. XXX.

## RANAE METUENTES TAURORUM PRAELIA.

Humilés laborant, úbi potentes díssident.  
 Rana é palude púgnam Taurorum íntuens:  
 Heu quánta nobis ínstat. perniciés! ait.  
 Intérrogata ab ália, cur hoc díceret,  
 De princípato quum ílli certarént gregis, 5  
 Longéque ab illis dégerent vitám boves:  
 Natío, ait, separáta, ac díversum ést genus,  
 Sed púlsus regno némoris qui profúgerit,  
 Palúdis in secréta veniet látibula,  
 Et próculcatas óbteret duró pede: 10  
 Ita cápud ad nostrum fúror illorum pértinet.

7)

*Si similem negas**Tibi me esse, certe simile est hoc rostró tuo.*

Gudius ad locum. MS. *Similem si negas. Melius. Cur melius sit,*  
 quod ille tacuit, dicam: nempe hoc pacto utrumque et *Similem* et  
*Simile* accentum habent in prima, quod in repetitione attendi solet.  
 [Caeterum vulgo *demisso*, quod sententia repudiat. *Ed.*]

10) *Et.* Intelligit inquit, ut fab. seq. 13. 3, 1, 4. *Ed.*

## XXX.

2) *Rana in palude.* Ex hac lectione suspicari quis posset, *pugnam*  
*taurorum* pugnatum in palude esse; plane contra fabulae mentem.  
 Repone,

*Rana e palude pugnam taurorum intuens.*7) *Est statio separata ac diversum genus.*

MS., teste Gudio, *Est ratio separata, inquit, ac diversum genus.*  
 Unde sic locum refingo:

*Esto, inquit, dispar vita ac diversum genus.*

Respondet versui praecedenti,

*Longeque ab illis degerent vitam boves.*

Dispar vita ac diversum genus Tauris et Ranis: illi in sicco vitam  
 degunt, rana in palude. *Esto* casu mutatum est in *Est* ro; id com-  
 pendiose est *Ratio*.

11) *Caput ita ad nostrum furor illorum pertinet.*

Lege numeris melioribus,

*Ita caput ad nostrum f. i. p.*

## FAB. XXXI.

## MILVUS ET COLUMBAE.

Qui se committit homini tutandum improbo,  
 Auxilium dum requirit, exitium invenit.  
 Columbae quum saepe effugissent Milium,  
 Et celeritate pennae evitassent necem,  
 Consilium raptor vertit ad fallaciam, 5  
 Et genus inerme tali decepto dolo:  
 Quare sollicitum potius aevum ducitis,  
 Quam regem me creatis icto foedere,  
 Qui vos ab omni tutas praestem injuria?  
 Illae credentes, tradunt sese Milio: 10  
 Qui regnum adeptus coepit vinci singulas,  
 Et exercere imperium saevis unguibus.  
 Tunc de reliquis una: Merito plectimur.

## EXPLICIT LIB. I.

## XXXI.

- 2) *Auxilia dum requirit, exitium invenit.*  
 Dedit Auctor *Auxilium*; et elegantius est antitheton, *Auxilium*,  
*Exitium*. Hoc scripseram, cum in Nilantii libro Fab. XXII. reperi:  
*Auxilium quum quaerit, exitium invenit.*
- 3) *Columbae saepe cum fugissent Milvium.*  
*Milvius* in veteribus Membranis ubique scribitur, non *Milvius*.  
 Ceterum pro *Fugissent* reponere *Effugissent*. Non enim omnes, qui  
 fugiunt, etiam effugiunt. Lege igitur,  
*Columbae cum saepe effugissent Milium,*
- 4) *Et celeritate pennae vitassent necem.*  
 Recte Heinsius, *Evitassent*, eadem de causa, qua nos effugissent.  
 Saepe enim vitat, qui evitare non potest. Horat. Serm. II, 7.  
*Teque ipsum vitas fugitivus et erro:*  
*Frustra; nam comes atra premit sequiturque fugacem,*
- 13) *De reliquis tunc una, Merito plectimur.*  
 Codices alio ordine locant,  
*Tunc de reliquis una, M. p.*  
 Recte, ut Reliquis sit quattuor syllabarum. Ita Noster ubique,  
 ut III, 4.  
*Inter reliquias merces atque obsonia.*  
 et IV, 24.  
*Accepit partem: cum reliquium posceret.*  
 Atque hac occasione alios docebo, quod ipse nunc primum disco,  
*Reliquus* apud veteres semper quattuor syllabis efferebatur; Terent,  
 Eunuch, V, 5, 26.



# I N C I P I T L I B E R S E C U N D U S.

## P R O L O G U S.

**E**xemplis continetur *humanum* genus;  
Nec aliud quidquam per fabellas quaeritur,

*Reliquom? tantum est. cesso huc introrumpere.*

Plautus Cistel. I, 3, 40.

*Nunc quod reliquom restat, volo persolvere.*

In his locis, et apud Plautum saepius, necessario quattuor habet syllabas, in ceteris locis, ubi *Reliquum* nunc fertur tribus syllabis prima longa, aequè commode ad versum in quattuor resolvitur, prima brevi. Eamque veram et solam olim pronuntiationem fuisse Phaedrus postea Lucretiusque evincunt. Hic ut in *Religio*, ita in *Reliquus* ubique geminat literam L; ita tamen, ut semper syllabis constet quattuor: I, 560.

*Numquam id reliquio reparari tempore possit.*

IV, 973.

*Reliquias tamen esse vias in mente patentes.*

Libro quidem III, 649. sic hodie fertur,

Et simul in pugnae studio quod dedita mens est,

*Corpore cum reliquo pugnam caedesque petisset.*

Sed ibi corrigendum, sententia quoque volente,

*Corpore reliquio pugnam caedesque petisset.*

Denique iis temporibus *Reliquius* nunquam non τετρασύλλαβον fuisse, vel id certo indicio est, quod apud Virgilium, Horatium, Tibullum, Propertium, etc. nusquam reperitur; versu scilicet Heroico et Pentametro tale τετρασύλλαβον cum tribus brevibus non admittente. Quae enim causa alia vel fingi potest? Postea quidem τρισύλλαβον factum facile admittebatur. Martial. IV, 42.

*Vir reliquis, uni fit puer ille mihi.*

Juvenal. V, 153.

*Virro sibi et reliquis Virronibus illa jubebit.*

Scribendum igitur ubique in Plauto et Terentio *Reliquium* et sic casibus in ceteris, nusquam, ut nunc fit, *Reliquum*. MSS. *Relicium*.

## P R O L.

1) *Exemplis continetur Aesopi genus.*

Frustra explicare conantur illud *Aesopi*; quod facinus est librariorum aliud agentium. Dedit Auctor,

*Exemplis continetur humanum genus.*

Hoc est, Exemplis potius continentur homines, reguntur, flectuntur, gubernantur, quam legibus aut praeceptis: nec aliud per fabellas sive bestiarum exempla quaeritur, quam ut hominibus profimus.

Quam corrigatur error ut mortalium,  
 Acuatque sese diligens industria.  
 Quicumque fuerit ergo narrandus jocus, 5  
 Dum capiat aurem et servet propositum suum,  
 Re commendetur, non auctoris nomine.  
 Equidem omni cura morem servabo senis.  
 Sed si libuerit aliquid interponere,  
 Dictorum sensus ut delectet varietas, 10  
 Bonas in partes, lector, accipias velim  
 Ita: si rependit illi brevitatis gratiam.  
 Cujus verbosa ne sit commendatio,

5) *Quicumque fuerit ergo narrandi jocus.*

Ita viri docti interpolant; sed codices exhibent *Narrandi locus.*  
 Lege ipsius sententiae ductu,

*Quicumque fuerit ergo narrandus jocus.*

Hoc est, *Quaecumque scribenda erit fabula.* Sic Prol. III. *Fictis jocos.* et IV, 6. *Hoc jocosum genus.* et I, 6. III, 12. *Hoc illis narro.*

7) *Re commendatur.* Recte Heinsius, *Re commendatur: hoc est, commendari debet.* Ita V, 5.

*Quae commendari tanto debet justius.*

10) *Dictorum sensus ut delectet varietas.*

Quae constructionis ratio sit, in ambiguo est: an *Varietas dictorum delectet sensus*, an *Varietas sensus dictorum delectet*, an *Varietas delectet sensus dictorum*? Nihil horum trium, si excutias, placebit. Repone,

*Diversum, sensus ut delectet varietas.*

Si aliquid diversum, inquit, interposuero, non Apologum more Aesopi, sed narrationem veram et rem gestam; quales sunt II, 5. de Tiberio, III, 10. de Augusto, IV, 21, 24. de Simonide, V, 1. de Demetrio Phalereo, V, 7. de Principe tibicine, condonabit mihi lector. Quid quaeso est *aliquid* interponere, nisi addideris *diversum*, hoc est, dissimilis argumenti?

11) *Bonas in partes, lector, accipias velim.*

Ita sic rependit illi brevitatis gratiam,

*Cujus verbosa nescit commendatio.*

Recte Heinsius, *Ita, si pro Ita sic, et Ne sit, pro Nescit.* Restabat, ut pro *Accipias*, corrigeretur *Accipiat*. Refinge totum locum:

*Bonas in partes lector accipiat velim:*

*Ita, si rependit illi brevitatis gratiam:*

*Cujus verbosa ne sit commendatio,*

*Attende, cur etc.*

*Rependit* codd. habent. *Cujus brevitatis ne commendatio quoque non brevis sit, Attende etc.*

[Cum statim sequatur *Attende*, retinendum puto *accipias*. Ed.]

Atténde, cur negáre cupidis débeas,  
Modéstis etiam offérre quod non pétierint.

15

## FABULA I.

## JUVENCUS, LEO ET PRAEDATOR.

Supér juvencum ut stábat dejectúm Leo:  
Praedátor intervénit, partem póstulans:  
Darem, ínquit, nisi soléres per te súmere:  
Et ímprobum rejécit. Forte innóxius  
Viátor est dedúctus in eundém locum,  
Feróque viso rétulit retró pedem.  
Cui plácidus ille: Nón est quod timeás, ait,  
Et, quae debetur párs tuae modéstiae,  
Audácter tolle. Túc diviso térgore,  
Silvás petivit, hómini ut accessúm daret. 10  
[Exémplum egregium prórsus et laudábile;  
Verum ést Aviditas díves, et paupér Pudor.]

## FAB. II.

## ANUS DILIGENS JUVENEM, ITEM PUELLA.

A Féminis utcúmque spoliari viros,  
Amént, amentur, némpe exemplo hoc díscimus.

## I.

1) *Super juvencum stabat dejectum leo.*

Mecum infere *Ut. Juvencum ut stabat.*

12) Aut fallor, aut dedit Auctor:

*Verum hodie aviditas dives est, pauper pudor.*

[11. 12) *Laudabile post egregium friget. Sed totum epimythium mihi suspectum est, Ed.]*

## II.

2) *Ament, amentur, nempe exemplis discimus.*

Repone,

*Ament, amentur, nempe exemplo hoc discimus.*

Fabula superiore,

*Exemplum egregium prorsus et laudabile. Ita I, 3.*

*Aesopus nobis hoc exemplum prodidit. III, 10.*

*Utriusque exemplum breviter exponam rei. IV, 2. Adscribere hoc debent exemplum sibi. V, Prol. Sed ad fabellam talis exempli ferar. In hoc exemplo amabat anus, amabatur juvencula,*

Aetatis mediae quendam mulier non rudis  
 Tenebat, annos celans elegantia;  
 Animosque ejusdem pulcra juvenis ceperat. 5  
 Ambae videri dum volunt illi pares,  
 Capillos homini legere coepere invicem.  
 Quum se putaret pingi cura mulierum,  
 Calvus repente factus est: nam funditus  
 Canos puella, nigros anus evellerat. 10

## FAB. III.

## HOMO ET CANIS.

Laceratus quidam morsu vehementis Canis,  
 Tinctum cruore panem immisit malefico,  
 Audierat esse quod remedium vulneris.  
 Tunc sic Aesopus: Noli coram pluribus  
 Hoc facere canibus, ne nos vivos devorent, 5  
 Quum tale scierint esse culpae praemium.  
 Succensus improborum plures allicit.

## FAB. IV.

## AQUILA, FELES ET APER.

Aquila in sublimi quercu nidum fecerat:  
 Felés, cavernam nata in media, pepererat:  
 Sus nemoricultrix foetum ad imam posuerat.  
 Tum fortuitum Felés contubernium  
 Fraude et scelesti sic evertit malitia. 6

## III.

- 6) *Cum scierint esse tale culpae praemium.*  
 Lege numeris mollioribus,  
*Cum tale scierint esse culpae praemium.*

## IV.

- 1) *Aquila in sublimi quercu nidum fecerat.*  
 In sublimi Aquila, in media Feles, ad imam Sus. Reponé,  
*Aquila in suprema quercu nidum fecerat.*  
 Nam et feles, quae in media quercu, in sublimi erat nihilominus.  
 [Sed quis nescit, aquilas non nisi in summis arboribus nidificare? Igitur istud *suprema* per se intelligitur, estque otiosius vulgato, quod retinui. Ed.]

Ad nidum scandit volucris: Perniciés, ait,  
 Tibi paratur, forsán et miseraé mihi;  
 Nam fodere terram quód vides quotidie  
 Aprum insidiosum, quércum vult evértere,  
 Ut nóstram in plano fácte progeniem ópprimat: 10  
 Terróre offuso pérturbatis sénsibus,  
 Derépit ad cubíle fetosae suis.  
 Magno, inquit, in periclo sunt natí tui:  
 Nam simul exieris pástum cum teneró grege,  
 Aquila ést parata rápere porcellós tibi. 15  
 Hunc quóque timore póstquam complexít locum,  
 Dolósa notó condidit sese cavo.  
 Inde évagata nóctu suspensó pede,  
 Ubi éscá se replévit et prolém suam,  
 Pavórem simulans próspicit totó die. 20  
 Ruínam metuens Aquila ramis désidet:  
 Apér rapinam vitans non prodit foras.  
 Quid múlta? inedia súnct consumti cúm suis,  
 Felisque et catulis largam praebuerúnt dapem.  
 Quantum hómo bilinguis saépe concinnét mali, 25  
 Documentum habere hinc stúlta credulitas potest.

9) Nimis cito *Insidiosum* vocat, causa nondum reddita. Corrige,  
*Aprum*, insidiosus quercum vult evertere.

11) Vulgo: *T. effuso et p. s.*, in quo ambigua sunt ista *perturbatis sensibus*, cum aequae bene ad aquilam et ad falem pertinere possint, per linguam. *Offuso* Heinsius, aliique. *Ed.*

17) *Dolosa tuto condidit sese cavo.*

Codd. habent *toto*. Repone cum Heinio *noto*. *Notus cavus* est caverna, in qua pepererat; *tutus cavus* posset alius esse quicumque.

23) *Quid multa? inedia sunt consumti cum suis,*

*Felisque catulis largam praebuerunt dapem.*

Cur catulis tantum, ac non matri quoque? Repone;

*Quid multa? inedia sic conf. c. s.*

*Feli atque c. largam praeb. dap.*

[Melius haud dubie Burmannus, ut nos edidimus, qua ratione verbum *Feli* integre auditur, cum, secundum Anglum, in monosyllabum cogatur, quod minus convenit, quia felis princeps est fabulae persona. *Ed.*]

26) *Documentum habere stulta credulitas potest.*

Scribe cum Heinio, *Documentum habere hoc. Poteris etiam Hinc.*

## FAB. V.

## CAESAR AD ATRIENSEM.

Est árdelionum quaédamí Romae nátio,  
 Trepidé concursans, ócupata in ótio,  
 Grátis anhelans, múlta agendo níhil agens,  
 Sibí molesta et áliis odiosíssima.  
 Hanc émendare, si tamen possúm, volo  
 Verá fabella. Prétium est operae atténdere.  
 Caesár Tiberius quúm petens Neápolim,  
 In Misénensem villam venisset suam,  
 Quae monte summo póstita Lucullí manu,  
 Prospéctat Sículum, déspicit Tuscúm mare, 10  
 Ex álticinctis únus Atriénsibus,  
 Cui túnica ab humeris línteo Pelúfio  
 Erát descripta, cirris dependéntibus,  
 Perámbulante laéta Domino víridia,  
 Alvéolo coepit línteo conspérgere 15  
 Humuni aéstuantem, jáctans officíum, comes:

## V.

10) *Prospectans Siculum et prospicit Tuscum mare.*

Inépta lectio; cum *Prospectat* et *Prospicit* sensu non differant.

MSS. *Perस्पicit*. Viri eruditi *Respicit*; ego malim cum Guyeto,

*Prospectat Siculum et déspicit Tuscum mare.*

Villa monte summo posita Siculum mare e longinquo *prospectat*;

Tuscum e propinquo *despiciť*, sive desuper spectat. Virg. I.

*Collem, qui plurimus urbi*

*Imminet, adversusque adspectat desuper arces.*

Silius XII, 487.

*Qui moenibus instat*

*Collis, et e tumulis subjectam despicit urbem.*

12) *Línteo Pelúfio.* Romani líntea plerumque ex Aegypto accipiebant, etiam viliora. Hic itaque vestitus ordinarius erat atriensium.

*Heuf.*

13) *Cirris dependentibus.* Burm. refert ad *tunicam*; quae fuerit in ima ora fibriata, vel ex qua cirri dependerint. Sunt autem cirri cincinnis similes, *Franzen, Quinſten. Heuf.*

16) *Humum aestuantem, come officium jactans.*

MSS. *Jactans officium come*, hoc est, cum a DCC annis diphthongus *ae* simplici e scribi solitum fit, *Comae*. Interpretes *Come* acceperunt Neutrú a *Comis*; inde verborum ordinem immutarunt, quia *Comis* priorem producit. Unde vero arrisit illis *Come officium*? Nempe ita Manilius V, 635.

Sed deridetur. Inde notis flexibus  
 Praecurrit illum in xystum, sedans pulverem.  
 Agnoscit hominem Caesar remque intelligit:  
 Heus, inquit Dominus; Ille enimvero adfilit, 20  
 Et id putavit esse nescio quid boni.  
 Donationis alacer certae gaudio.  
 Tum sic jocata est tanti majestas Ducis:  
 Non multum egisti, et opera nequicquam perit.  
 Multo majoris alapae mecum veneunt. 25

*Velocesque dabit sub tali tempore partus,*

*Come per officium vigilantia membra terentes.*

Sic quidem dedit ex Codice Gemblacensi Scaliger: sed Venetus antiquus *Roma per*; recentiores *Omne per officium*; quae vera lectio est, sententia ipsa flagitante. *Omne officium*, ut Claudianus in Eutrop. I, 367.

*Communiter omni*

*Fungitur officio.*

Horat. Epist. II, 2. 63.

*Vocat hic auditum scripta, relictis*

*Omnibus officiis.*

Seneca Consol. ad Marciam XII; *Cito pater, cito omnis officii curiosus*. Ubi plura vide exempla apud Gronovium. Martialis I, 99.

*Omne sed officium circa te semper obibat*

*Turba tui sexus, non adveniente viro.*

Sic codices omnes; sine dubio vere: sed *Come* ibi dedit Scriverius, auctore Scaligero: postea tamen in Notis sententiam mutavit. Quid igitur fiet? Nusquam jam apparet *Come officium*, et de alia emendatione hic cogitandum. Nam ut alias, quod non est, officium aliquod *Come* dicatur; hic certe minime, quod *deridetur*. Mihi quidem nunc temporis nihil propius succurrit, quam ut legatur, *Factans officium leve*. Id est, *levem operam*: ut mox Tiberius *Non multum egisti*.

[Nihil verius Wasii emendatione *comes*, i. e. comes Tiberii, quod false dictum, quasi Atrienfis comitibus Imperatoris se adnumerari voluisset. Opponitur τῶν comitari mox praecurrere. Atque haec etiam Codicum MSS. scriptura est, litera finali S a sequenti verbo intercepta. Ed.]

25) Nequeo satis mirari, tot egregios viros *Alapas* hic de *servorum manumissione* interpretari. Vestram fidem! quomodo sodes *jocatus est* Tiberius, si tam triste et aridum responsum dederit? Immo *alapae* hic sunt *Colaphi*. *Donationem*, id est pecuniolam, expectabat *servulus*; Tiberius contra, Nondum eum ob stultam et ingratiam diligentiam colaphos meruisse: majoris eos apud se venire, non nisi ob graviora delicta solitum irasci. Terent. Adel. II, 1.

*Quamquam est scelestus, non committet hodie unquam iterum ut vapulet.*

## FAB. VI.

## AQUILA, CORNIX ET TESTUDO.

**C**ontrá potentes némo est munitús satis:  
**S**i véro accessit cónsiliator máleficus,  
**V**is ét nequitia quícquid oppugnánt, ruit.  
**A**quila ín sublime sústulit testúdinem,  
**Q**uae quum ábdidisset córnea corpús domo, 6  
**P**actó nec ullo laédi posset cóndita:  
**V**enít per auras Córnix, et proptér volans:  
**O**pímam sane praédam rapuisti únguibus,  
**S**ed nísi monstraro, quíd faciendum sit tibi,  
**G**raví nequicquam té lassabis pøndere. 10  
**P**romíssa parte, suádet, ut scopulúm super  
**A**ltis ab astris dúram inlidat córticem,  
**Q**ua cómminuta fáculi vescatúr cibo.  
**I**ndúcta veris A'quila, monito páruit,  
**S**imul ét magistrae largam divisit dapem. 15  
**S**ic túta quae natúrae fuerat múnere,  
**I**mpár duabus óccidit tristí nece.

## VI.

- 1) *Contra potentes nemo est munitus satis.*  
 Recte: sed et satis bene alter Codex:  
*Contra potentes tutus est nemo satis.*
- 6) *Nec ullo pacto laedi posset condita.*  
 Concinnius hoc modo:  
*Pacto nec ullo laedi posset condita.*
- 13) *Qua comminuta, facile vescatur cibo.*  
 Repone, *Qua comminuta, facili vescatur cibo.*
- 14) *Inducta verbis aquila, monitis paruit.*  
 Amplector emendationes, Gronovii priorem; posteriorem Heinsii:  
*Inducta veris aquila, monito paruit.*
- 15) *Simul et magistrae large divisit dapem.*  
*Large; liberaliter; quasi plura et meliora dapis cornici dederit;*  
*quod ingenio aquilae non adeo convenit. Placet igitur doctissimi*  
*Burmanni emendatio;*  
*Simul et magistrae largam divisit dapem.*  
 Ita Noster III, 7. *Largo saturari cibo; et II, 4.*  
*Feli atque catulis largam praebuerunt dapem.*



## FAB. VII.

## MULI ET LATRONES.

**M**ulí gravati fárcinis ibánt duo:  
 Unús ferebat físcos cum pecúnia,  
 Altér tumentes múlto faccos hórdeo.  
 Ille, ónere dives, célfa cervice éminet,  
 Clarúmque collo jáctat tintinnábulum: 5  
 Comés quietus séquitur et placidó gradu.  
 Subitó latrones éx infidiis ádvolant,  
 Intérque caedem féro mulum trúsitant;  
 Dirípiunt nummos, négligunt vile hórdeum.  
 Spoliátus igitur cásus quum flerét suos, 10  
 Equidem, inquit alter, mé contemptum gaúdeo;  
 Nam níl amísi, néc sum laesus vúlnerē.  
 Hoc árgumento túta est hominum ténuitas.  
 (Magnae periclo súnť opes obnóxiae.)

## FAB. VIII.

## CERVUS ET BOVES.

**C**ervús nemorosís éxcitatus látibulis,  
 Ut vénatorum fúgeret instantém necem,

## VII.

- 4) *Ille onere dives, celsa cervice eminens.*  
 Reponē,  
*Ille onere dives, celsa it cervice eminens.*  
*Ille it, comes sequitur.*  
 [Praetulinus Burmanni correctionem. Ed.]
- 6) *Comes quieto sequitur et placido gradu.*  
 Auctor, nisi fallor, sic dedit:  
*Comes quietus sequitur et placido gradu.*
- 8) *Interque caedem ferro mulum trusitant.*  
 MS. uterque *Trucidant.* Noli dubitare, quin dederit auctor,  
 quod et Heinsio in mentem venerat,  
*Interque caedem ferro mulum fauciant.*  
 [Cum *truso* inveniatur, quidni admittamus frequentativum? Ed.]
- 14) Versus propter *ταυτολογία* suspectus; quem libenter deleverim.  
 Ed.

## VIII.

- 1) *Cervus nemorosus excitatus latibulis*  
*Ut venatorum fugeret instantem necem.*

Caecó timore proximam villám petit,  
 Et oportuno se bovili condidit.  
 Hic Bós latenti: Quidnam voluisti tibi, 5  
 Infelix, ultro qui ad necem cucurreris,  
 Hominúmque tecto spiritum commiseris?  
 At ille supplex: Vos modo, inquit, parcite;  
 Occásione rursus erumpam data.  
 Spatiúm diei noctis excipiunt vices; 10  
 Frondem bubulcus adfert, neque is eum videt;  
 Eunt subinde et redeunt omnes rústici,  
 Nemo animadvertit; transit etiam villicus,  
 Neque ille quicquam sentit. Tum gaudens ferus  
 Bobus quietus agere coepit gratias, 15  
 Hospitium adverso quod praestiterint tempore.  
 Respondit unus: Salvum te cupimus quidem,  
 Sed ille, qui oculos centum habet, si venerit,  
 Magno in periculo vita vertetur tua.  
 Haec inter ipse dominus a coena redit: 20  
 Et quia corruptos viderat nuper boves,

Ridiculum: *Necem venatorum*, pro *A venatoribus*. *Excitatus* autem, a quo vel quibus? Corrige et distingue,

*Cervus nemorosus excitatus latibulis*

A venatore, ut *fugeret instantem necem*.

ubi ordo est, *Cervus a venatore excitatus* etc.

[*Nex venatorum* est mors a venatoribus inferenda. Multa nomina activam et passivam simul habent significationem, ut *injuria*, *invidia*, *metus*, *pudor*, cetera. *Hensf.* Et sic plane Oppianus: *Φόνον ἀγρευτήρων*, admonente Burmanno. *Ed.*]

11) Male vulgo: *nec ideo videt*, quasi propterea, quod frondem affert bubulcus, necessario animadvertendum animal fuisset. Occasio videndi illud erat, non causa. Nec non desideratur h. l. nomen vel pronomen. *Ed.*

15) *Bobus quietis agere coepit gratias*.

Cur *Bobus quietis*? quasi illis aut periculi quicquam aut metus adfuisset? Repone,

Tum gaudens ferus,

*Bobus quietus agere coepit gratias*.

*Quietus*, id est securus: Terent. Phor. IV, 5. *Quietus esto*, inquam. Ubi Donatus: *Quietus, id est securus: ab eo, quod praecedit, id quod sequitur*. *Gaudens ferus quietus coepit*, adjectivo et participio: ut I, 3. *Male mulcatus graculus moerens coepit*. et III, 3. *Monstro exterritus moerens currit*.

Accedit ad praesep̄e: Cur frondis parum est?  
 Stramenta desunt? tollere haec aranea  
 Quantum est laboris? Dum scrutatur singula,  
 Cervi quoque alta est conspicatus cornua,  
 Quem convocata jubet occidi familia,  
 Praedamque tollit. Haec significat fabula,  
 Dominum videre plurimum in rebus suis.

25

## EPILOGUS.

Aesopi ingenio statuam posuere Attici,  
 Servumque collocarunt aeterna in basi,  
 Patere honoris scirent ut cuncti viam,  
 Nec generi tribui, sed virtuti gloriam.  
 Quoniam occuparat alter, ut primus foret,  
 Ne solus esset, studui, quod superfluit.  
 Neque haec invidia, verum est aemulatio.  
 Quod si labori faverit Latium meo,  
 Plures habebit, quos opponat Graeciae.

24) *Quantum est laboris?* Recte Heinsius, *Quanti est laboris: hoc est, quam parvi, quam nullius.*

## EPIL.

1) *Aesopo ingentem statuam posuere Attici.*  
 Cur obsecro *ingentem*? an Colossus? nugae. Codices, *Aesopi.*  
 Unde obvia et certa est Gudii emendatio:  
*Aesopi ingenio statuam posuere Attici.*

3) *Patere honoris scirent ut cunctis viam.*  
 Quinam isti, qui *scirent*? Codd. pro *Honoris* habent *Homini.*  
 Repone:

*Patere honori scirent ut cuncti viam.*

[*Viam Honori*, id est *viam ad honorem*, dure, ut opinor, et insolite. Contra, *iter laudis*, *via laudis*, *via gloriae* passim leguntur apud optimos quosque scriptores. (velut Ciceron. Philipp. I. c. 14.) Quidni *viam honoris* admittamus? Exempla quidem, quale illud Horatii, *Tergeminis tollere honoribus*, ubi Dativus a verbo regitur, paulo sunt alieniora. Quid quod in hoc quidem exemplo adhuc litigant interpretes? Ed.]

5) *Quoniam occuparat alter, ne primus forem.*  
 Codd. *Foret*, non *Forem*. Quanto igitur elegantius, quod ab Auctore erat,

*Quoniam occuparat alter, ut primus foret,*  
*Ne solus esset, studui.*

Sin lívor obtrectáre curam vóluerit, 10  
 Non támen eripiet laúdis consciéntiam.  
 Si nóstrum studium ad aúres pervenít tuas,  
 Et árte fictas ánimus sentit fábulas,  
 Omném querelam súbmovet felícitas:  
 Sin autem ab illis dóctus obteritúr labor, 15  
 Sinístra quos in lúcem natura éxtulit,  
 [Nec quícquam possunt nísi meliores cárpere,]  
 Fatále exitium córde durató feram,  
 Donéc Fortunam criminis pudeát sui.

## EXPLICIT LIB. II.

10) *Si livor obtrectare.* Recte Schefferus, *Sin livor.*

15) *Sin autem, ac illis doctus occurrit labor.*

*Doctus labor* est ipse hic libellus. Quidni igitur *occurrat*, qui publice venum exponitur? Pro *Ac illis codices Ab illis.* Restitue:

*Sin autem ab illis doctus obteritur labor.*

*Obteritur* livore, invidia, obtrectatione. *Ur* finale in priscis membranarum non literis, sed apice exprimitur.

17) *Nec quicquam possunt nisi meliores carpere.*

Hunc versum a mala manu huc insertum esse, multa sunt indicia. Syntaxis vitiosa est: *Nec quicquam possunt* pro *Quique nihil possunt*: Pronomen certe desideratur. Qualis vero sententia? miserum et mirum genus hominum, qui *nihil* possunt, nisi carpere. Numeri denique absoni sunt, nec in Senario ferendi. Abeat igitur quo dignus est versiculus, et unde malum pedem tulit.

18) *Fatale exitium corde durato feram.*

Quid quaeso est *Exitium*, nisi interitus, occisio, internecio? Quo igitur pacto *patienter quis ferat exitium*, qui ipse interiit et nullus est? Sensit hoc acutissimus Gronovius; et reposuit *Fatale vitium*; non ea, qua solitus erat, felicitate. Restituo suam auctori manum:

*Fatale eventum corde durato feram.*

Cicero de Aruspicum responsis c. IV. *P. ille Scipio, qui Carthaginem, quasi fatali eventu, solus evertit.*

[Non plane obsolevit ille  $\tau\bar{\epsilon}$  *exitium* significatus, quo idem valet atque *exitus*; nam sic Sallustius: *dignum moribus factisque suis exitium vitae invenit*, et ne quis librariorum culpet, faciunt nonnulli poetarum loci. Quare vulgatam servo. *Ed.*]

I N C I P I T  
L I B E R T E R T I U S.

PROLOGUS AD EUTYCHUM.

Phaedrí libellos légere si defíderas,  
 Vacés oportet, Eútyche, a negótiis,  
 Ut liber animus séntiat vim cárminis.  
 Verum, ínquis, tanti nón est ingeniúm tuum,  
 Moméntum ut horae péreat officiis meis. 5  
 Non érgo caussa est, máribus id tangi tuis,  
 Quod óccupatis aúribus non cónvenit.  
 Fortáste dices: A'liquae venient fériae,  
 Quae mé soluto péctore ad studiúm vocent.  
 Legésne, quaeso, pótius viles naénias, 10  
 Impéndas curam quám rei domésticae,  
 Reddás amicis témpora, uxori vaces,  
 Animúm relaxes, ótium des córpori,  
 Ut ádsüetám fórtius praestés vicem?  
 Mutándum tibi propósitum est et vitae' genus, 15  
 Intráre si Musárum limen cógitas.  
 Ego, quém Pierio máter enixa ést jugo,  
 In quó tonanti sáncta Mnemosyné Jovi  
 Foecúnda novies Ártium peperit chorum,

P R O L.

5) *Momentum ut horae pereat officii mei.*

Recte Heinſius:

*Momentum ut horae pereat officiis meis.*

Horat. Epist. I, 7.

*Causisque Philippus agendis,*

*Clarus, ab officiis octavam circiter horam*

*Dum redit. Porro v. 4. Pro Inquit lege*

*Inquis, ut mox habemus Dices.*

10) *Naenia* proprie verbum lugubre; cum vero illa carmina plerumque inepta essent et incondita, ad frivola et puerilia significanda vox traducta est. *Burm.*

12) *Reddas amicis tempora.* Vacés audiendis amicis, negotia sua tibi commendantibus, vel consilium expetentibus. Singularis locutio. *Heuf.*

Quamvis in ipsa pene sim natus schola, 20  
 Curamque habendi penitus corde eraserim,  
 Et haud invite in hancce vitam incubuerim,  
 Fastidiose tamen in coetum recipior.  
 Quid credis illi accidere, qui magnas opes  
 Exaggerare quaerit omni vigilia, 25  
 Docto labori dulce praeponens lucrum?  
 Sed jam, quodcunque fuerit (ut dixit Sinon  
 Ad regem quum Dardaniae perductus foret)  
 Librum exarabo tertium Aesopi stilo,  
 Honori et meritis dedicans illum tuis: 30  
 Quem si leges, laetabor, sin autem minus,  
 Habebunt certe, quo se oblectent posteri.  
 Nunc, fabularum cur sit inventum genus,  
 Brevi docebo. Servitus obnoxia  
 Quia, quae volebat, non audebat dicere, 35  
 Affectus proprios in fabellas transtulit,  
 Calumniamque fictis elusit jocis.  
 Ego illius pro semita feci viam,

20) *Quamvis in ipsa natus sim pene schola.*

Repone numerorum commodo:

*Quamvis in ipsa pene sim natus schola.*

*Schola est doctrinae parens et magistra Graecia ejusque pars illa, quae Musarum patria credita fuit, in Macedoniae et Thraciae confiniis. Heuf.*

22) *Et laude invita in hanc vitam incubuerim.*

Calcum illud et Opicum *Incubuerim* versus gratia reposuit Rittershusius: MSti *Incubuerim*, et facile fuit cum Praschio substituere,

*Et laude invita vitam in hanc incubuerim.*

Ceterum quid sit *Laude invita*, quidve item sit *Incumbere in vitam*, fateor me non intelligere.

[Recte monet Burmannus, istam locutionem, *in vitam hanc incumbere* nihil aliud esse, quam *in hoc vitae genus, in haec studia, in hanc curam, incumbere*, et cur sic dici non possit, causam non apparere. *Incumbe in eam curam et cogitationem, quae tibi summam dignitatem et gloriam afferet*, dixisse Ciceronem, et alias *incumbere in studia, in rem publicam*.

Sed ista quidem, *laude invita*, sentio cum Bentlejo corrupta esse, quae utcunque emendare studui. *Haud invite*, i. e. libenter, versari se in his studiis dicit, non reluctantem animo, ut Eutychem illosque, qui divitias quaerant. *Ed.*]

27) De Sinone vide Virgillii Aeneid. 2, 57 sq.

Et cogitavi plúra, quae reliquerat,  
 In calamitatem deligens quaedam meam, 40  
 Quod si accusator alius Sejanó foret,  
 Si téstis alius, júdex alius dénique,  
 Dignúm faterer esse me tantis malis,  
 Neque his dolorem delenirem rémediis.  
 Suspícione sí quis errabit sua, 45  
 Et rápiet ad se, quód erit commune ómnium,  
 Stulté nudabit ánimi consciéntiam.  
 Huic éxcusatum mé velim nihilóminus;  
 Neque enim notare singulos mens ést mihi,  
 Verum ípfam vitam et móres homínium osténdere. 50  
 Rem mé professum dícet forsan quis gravem.  
 Phrygíbús sí Aesopus potuit, sí Anacharsís Scythís

39) *Et cogitavi plura quam r.*

Sicco pede hunc locum transeunt intpp. Sed quid hoc est: *Cogitavi plura quam reliquerat Aesopus?* Nihil profecto, quod huc faciat. Repone: *E. t. p. quae r.* et frequentativum (cogitare) accipio pro simplici (cogere), prima et originali significatione, qua nubes cogere dicitur deus, exercitum imperator, licet de hac vi verbi taceant Lexicographi. Similiter infra, §, prologo: — *paucas (fabulas) ille (Aesopus) ostendit, ego plures fero*, secundum Bentleii emendationem verissimam; ne autem obsoletum (hac significatione) verbum mireris, facit simile (*trufitare*), quod supra, 2, 7. legitur, et locutio *res cibi* pro cibo, aliaque hujus generis; ut antiqua haec amasse videatur Phaedrus.

40) *Deligens quaedam.* Confirmatur his verbis emendatio nostra, ad v. 39. proposita. Plura collegit Phaedrus, ab Aesopo relicta, *communia*, quaedam sibi delegit. *Ed.*

41) Hoc primum loco, inquit Burmannus, de Sejanó aperte Phaedrus loquitur; unde conjicere est hunc 3. librum scriptum esse Sejanó jam damnato, duos vero priores, dum ille apud Tiberium gratia floreret. Damnatus autem Sejanus est Tiberii anno 18.

51) *Rem me professum dicet fors aliquis gravem.* Pro *Fors aliquis* Codices *Forsan aliquis*. Lege cum Heinio *Forsan quis*.

52) *Si Phryx Aesopus potuit, Anacharsis Scytha.*

Codices habent, *Phryge fuisse Aesopus potuit, Anacharsae Scythae*. Unde veram loci lectionem eruas,

Phrygibus si Aesopus potuit, si Anacharsis Scythis

Aeternam famam condere ing. s.

Quippe magni Auctores etiam patriam suam celebrem faciunt. Ovid. Amor. III, 15.

Mantua Virgilio gaudet, Verona Catullo,

Pelignae dicar gloria gentis Ego.

Aeternam famam condere ingenio suo:  
 Ego, literatae qui sum propior Graeciae,  
 Cur somno inertis deseram patriae decus, 55  
 Threissa quum gens numeret auctores suos,  
 Linoque Apollo sit parens, Musa Orpheo,  
 Qui saxa cantu movit et domuit feras,  
 Hebrique tenuit impetus dulcis mora?  
 Ergo hinc abesto, livor, ne frustra gemas: 60  
 Quoniam solemnis mihi debetur gloria.  
 Induxi te ad legendum; sincerum mihi  
 Candore noto reddas iudicium, peto.

## FABULA I.

## ANUS AD AMPHORAM.

Anus jacere vidit epotam amphoram,

Porro veram hanc conjecturam esse probant quae statim inferuntur,

*Ego literatae qui sum propior Graeciae,*

*Cur somno inertis deseram patriae decus.*

Nota illud Patriae, et filum orationis sic evolve: si Aesopus Phrygius, Scythis Anacharsis uterque patriae suae barbarae famam et decus contulerunt, cur non et ego patriae meae idem facere possim?

[Caeterum Aesopus et Anacharsis aequales fuerunt Solonis, Linus autem, poeta Thebanus, Herculis, qui cum Orpheo Iasonem comitatus est. Ed.]

58) *Qui saxa cantu movit, et domuit feras,*

Aliquanto est concinnius, id quod ab Auctore erat,

*Qui saxa cantu movit, edomuit feras.*

61) *Quoniam mihi solemnis debetur gloria.*

Numeri absoni sunt, nec, quid *solemnis gloria* sibi velit, capere possum. Dedit, ut fateberis, Auctor:

*Quoniam perennis mihi debetur gloria.*

Notum illud Nasonis:

*Carmina quam tribuent, fama perennis erit.*

[Recte habet *solemnis gloria*; *solemnis* Thracibus, velut Lino et Orpheo; Linum enim inter Thracas referri a Nostro, locus hic, quem tractamus, dubitare non finit; nam ubi dixit, Thraciam auctores suos habere, statim, documenti causa, Linum et Orpheum refert. Et fabulosa omnino horum poetarum historiae,

Ed.]



Adhuc Falerna e faece et testa nobili  
 Odorem quae jucundum late spargeret.  
 Hunc postquam totis avida traxit naribus:  
 O suavis anima! quale te dicam bonum  
 Antehac fuisse, tales cum sint reliquiae?  
 Hoc quo pertineat, dicet, qui me noverit.

## FAB. II.

## PANTHERA ET PASTORES.

Solet a despectis par referri gratia.  
 Panthera imprudens olim in foveam ut decidit,  
 Videre agrestes: alii fustes ingerunt,  
 Alii onerant saxis; quidam contra miseriti,  
 Periturae quippe, quamvis nemo laederet,  
 Misere panem, ut sustineret spiritum.  
 Nox insculta est, abeunt securi domum,  
 Quasi inventuri mortuam postridie.

## I.

2) *Adhuc Falerna faece e testa nobili.*

Repone,

*Adhuc Falerna e faece et testa nobili.*

5) *O suavis anima, quale in te dicam bonum.*

In codicibus sic habetur, *Qualem te dicam bonam.* Restituo priscam et veram lectionem:

*O suavis anima! qualem te dicam, Amfora,*

*Antehac fuisse, tales cum sint reliquiae.*

Prima syllaba absorpta est a praecedente; *Dicambona, dicamfora.* Qualis eras, o amfora, cum plena esses; quae vel inanis talis es. Nisi *Amfora* hic reponas, *Te ad animam* sive odorem referendum erit. Atqui odor in testa recens epota *adhuc tam jucundus* erat, quam *antehac.* *Amfora* per *f* fere scribitur in veteribus Membranis.

Cod. Perott. *Quale te dicam bonum*, quod jam Heinsio in mentem venerat, et Burmanno placet. *Heuf.* [Sic et nos. *Ed.*]

## II.

2) *Panthera imprudens olim in foveam decidit:*

*Videre agrestes: alii fustes congerunt.*

Primo repone *Ingerunt.* *Ictus, plagae congeruntur; Saxa, tela, fustes, pugni ingeruntur.* Deinde infere *Ut: In foveam ut decidit, Videre agrestes.*

3) *Congerunt.] Bendl. ingerunt.* Latinis vero illud etiam placuisse, multis auctoritatibus vincit Burmannus. *Heuf.*

At illa vires ut refecit languidas,  
 Veloci saltu fovea sese liberat, 10  
 Et in cubile concito properat gradu.  
 Paucis diebus interpositis, provolat,  
 Pecus trucidat, ipsos pastores necat,  
 Et cuncta vastans saevit irato impetu.  
 Tum sibi timentes, qui ferae pepercerant, 15  
 Damnum haud recusant, tantum pro vita rogant.  
 Et illa: Memini qui me saxo petierint,  
 Quis panem dederit: vos timere abscissite;  
 Illis revertor hostis, qui me laeserant.

## FAB. III.

## AESOPUS ET RUSTICUS.

Usu peritus hariolo veracior:  
 [Vulgo esse fertur: causa sed non dicitur;  
 Notescet quae nunc primum fabella mea.]  
 Alenti cuidam pecora pepererunt oves  
 Agnos humano capite. Monstro exterritus 5  
 Ad consulendos currit moerens hariolos.  
 Hic pertinere ad domini respondet caput,  
 Et advertendum victima periculum.  
 Ille autem affirmat, conjugem esse adulteram,  
 Et insitivos significari liberos; 10  
 Sed expiari posse majori hostia.  
 Quid multa? variis dissident sententiis,  
 Hominique curam cura majore aggravant.

## III.

2. 3) Vulgo haec cum antecedentibus conjungunt, sed ineptissima sententia, quasi hoc demum facto cognitum fuisset, sapientem virum hariolis veraciorum esse; veraciorum, nam *veracior* lego, non, ut scriptum in omnibus libris video, *velocior*, quia velox pro sagace per se non dicitur. Intelligendum autem est, solemnij ellipsi, quam tamen nescio quis cum non assequeretur, versiculos istos ambiciosos de suo addidit. *Ed.*

4) *Habenti cuidam pecora pepererunt oves.*

Repone, *Alenti cuidam pecora.* Ter. Adel. I, 1. *Equos alere.*

13) *Hominisque curam cura majore aggravant.*

Dedit Auctor, *Hominique curam.*

Aesópus obfians, náris emunctaé senex,  
 Natúra nunquam vérba cui potuít dare:  
 Si prócurare vís ostentum, rúftice,  
 Uxóres, inquit, dá tuis pastóribus.

15

## FAB. IV.

## LANIUS ET SIMIUS.

**P**endére ad Lanium quídam ut vidit Símium  
 Intér reliquás mérces atque opfónia,  
 Quaesívit, quidnam sáperet? Tum Laniús jocans:  
 Quale, ínquit, caput est, tális praestatúr sapor.  
 [Ridícule hoc dictum máge quam vere exístimo. 5

14) *Aesopus ibi stans naris emunctae senex.*

*Ibi stans*, praeter id, quod scabrum anapaestum facit, etiam sensu deficit. Cur enim *Stans*; quasi totum hoc in uno loco in foro et vulgi corona sit actum? Repono,

*Aesopus ibi tum naris emunctae senex.*

Terent. And. I, 1.

*Ibi tum exanimatus Pamphilus.*

Noster V, 10. Hic tum *uenator dolens.*

[Scriptimus *obfians*, i. e. obviam veniens, ut est Plaut. Stich. 2, 1, 14. etc. Amat antiqua Phaedrus. *Ed.*]

## IV.

1) *Pendere ad lanium quidam vidit Simium.*

Iterum excidit *Ut*, sollemni librorum errore,

*Pendere ad lanium quidam ut vidit Simium,*

*Quaesivit, quidnam saperet.*

4) *Quale, inquit, caput est, talis praestatur sapor.*

*caput*, hoc est, *totum animal*, non caput sensu proprio, vel os orisque pulchritudo, qui error est ejus, qui epimythium adscribilavit. Ita autem saepe usurpant vocem. Terentius And. II, 2, 34. *Ridiculum caput* dixit pro ridiculo homine; Horat. I, 34-*carum caput* pro caro vel dilecto homine, etc. Jam autem sententia et vera existit, et minime, ut opinor, ridenda. Cum enim quod in carnibus *sapor* est, id in hominibus *mores* haud absurde dicantur, Scriptor docere nos voluit, *Hominum qualia sint ingenia, tales etiam plerumque mores esse*. Quare epimythium, quod et calumniatur scriptorem, et in narratione brevi et ad jocum tantum composita superfluum est, confodiendum censeo. *Ed.*]

## 5. 6. 7) Haec non a Phaedro profecta esse, facile quisque intelligit.

*Ed.*

5) *Ridicule magis hoc dictum quam vere aestimo.*

*Aestimo* in hoc sensu inferiorum aetatum est. Codices, teste Gudie, alio ordine, *Ridicule hoc dictum magis*. Repono,

Quando ét formosos saepe inveni pessimos,  
Et turpi facie multos cognovi optimos.]

## FAB. V.

## AESOPUS ET PETULANS.

Succéssus ad perniciem stultos devocat.  
Aesópo quidam petulans lapidem impégerat.  
Tanto, inquit, melior: assem deinde illi dedit,  
Sic prósecutus: Plus non habeo mehércule,  
Sed unde accipere possis, monstrabó tibi: 5  
Venit ecce dives ét potens: huic similiter  
Impinge lapidem, et dignum accipies praémium.  
Persuásus ille, fécit quod monitús fuit;  
Sed spés fefellit impudentem audáciam;  
Comprénfus namque poénas perfolvíit cruce. 10

## FAB. VI.

## MUSCA ET MULA.

Musca in temone sédit et Mulam increpans:  
Quam tarde is, inquit: non vis citius prógredi?

*Ridicule hoc dictum mage quam vere existimo.*

Virgil. Aen. X, 481.

*Adspice, num mage sit nostrum penetrabile telum.*

## V.

- 1) *Succéssus ad perniciem multos devocat.*  
Pro *Multos* codices habent *Saepe multos*: Repone, *Stultos*. Compendia scribendi hoc erratum, ut fere cetera, pepererunt.
- 2) *Aesopo quidam petulans lapidem impegerat,*  
*Tanto, inquit, melior.*  
Rursus hiat oratio, fatali quasi errore. Repone,  
*Aesopo ut quidam petulans lapidem impegerat.*  
*Inquit, hoc est, Dixit Aesopus.* Nescias alioquin ex constructione, uter hoc dixerit, Aesopus an Petulans.  
[Sed negligentior in his Phaedrus. Vide infra II, 4. Ed.]

## VI.

- 2) *Quam tarda es? inquit.* Si *Tarda es* legis, dicis mulam *tardigradam*, five naturaliter incessu tardam. Cur igitur ait, *Non vis?* cum *Tardam* tarde incedere, non voluntatis sit, sed necessitatis. Vidit hoc sagacissimus Heinsius: et reposuit *Non quis*. In

Vide, né dolone hoc còllum compungám tibi.  
 Respóndit illa: Vérbis non moveór tuis,  
 Sed ístum timeo, félla qui primá sedens 5  
 Tergúm flagello témperat lentó meum,  
 Et óra frenis cóntinet spumántibus.  
 Quaprópter aufer frivólam insoléntiam!  
 Nam et úbi tricandum, et úbi currendum sit, scio.  
 Hac dérideri fábula meritó potest, 10  
 Qui sine virtute vánas exercét minas.

aliud tamen vitium incidit; Si enim non *quit* mula citius pro-  
 gredi, cur objurgatur? Repone;

*Quam tarde is, inquit? non vis citius progredi?*

Ita Romulus in hac fabula; *Quam tarde ambulas?* Horat. Sermi.  
 II, 3. *Quia tardius irent, Propter onus segnes.*

- 3) *Vide, ne dolone collum compungam tibi.*  
 Dolo est baculus intus pugionem habens; sed figurate hic ponitur  
 pro muscae aculeo. Legendum est igitur,  
*Vide, ne dolone hoc collum compungam tibi.*  
 Hoc dicens Musca, aculeum exferit et ostendit.

- 6) *Jugum flagello temperat lento meum,*  
*Et lora frenis continet spumantibus.*  
 Recte Praefchius *Ora frenis*; ut Hor. Carm. I, 8. *Gallica nec lu-  
 patis Temperat ora frenis.* Utrumque versum sic refingo,  
*Tergum flagello temperat lento meum,*  
*Et ora frenis continet spumantibus.*  
*Tergum flagello,* cum citius me ire vult; *Ora frenis,* cum lentius.  
 Romulus in hac fabula: *Mulionis, qui prima sella sedit, qui frenis  
 ora regit, et loris iter flectit, flagello excusso.*

- 9) *Namque ubi strigandum est, et ubi currendum, scio.*  
 Ut supra III, 3. *Ibi stans,* ita hic *Ubi stri* non ita bellus est Ana-  
 paestus. Et bene sane; quod non a Phaedro est, sed a correcto-  
 ribus. Codices *Tricandum*; illud alterum primus aut Gruterus  
 aut Salmasius invenit; quod postea cum plausu acceptum: *Strigare*  
 est interquiescere, interjungere; cum jumenta jugo solvuntur.  
 Atqui strigandi commodum tempus *Mulio* scit, non, ut hic, *Mula*.  
 Ut ne addam, τῶν *Currere* non recte hic opponi *Quiescere*; non  
 enim, ubi non *quiesceret* Mula, *currendum* ei erat: sed leni plerum-  
 que passu incedendum. Revocetur antiqua lectio,  
*Namque ubi tricandum et ubi currendum sit, scio.*  
*Sit,* ut Terent. Adel. IV, 2.

*Scio, ubi sit, verum hodie numquam monstrabo.*

*Ubi, ubi* utrobique Ictum habet: quod in repetitione venustum est.  
*Tricandum* autem est cessandum, tarde et otiose eundum. Glossae  
 veteres, *Tricosus, cessator, λαγγών, ἀργός.*

## FAB. VII.

## LUPUS ET CANIS.

Quam dulce sit libertas, breviter proloquar.

Canis perpaſto mácie confectus Lupus

Forte occucurrit: dein salutans, invicem

Ut réſtiterunt, unde ſic, quaeso, nites,

Aut quó cibo feciſti tantum córporis?

Ego, qui ſum longe fórtior, pereó fame.

Canis ſimpliciter: E'adem eſt conditió tibi,

Praeſtáre domino ſi par officiúm potes.

Quod? inquit ille. — Cúſtos ut ſis líminis,

A fúribus tñeáris et noctú domum. —

Ego véro ſum parátus: Cur patiar nives

Imbrésque, in ſilvis áſperam vitám trahens:

Quando eſt, facilius míhi ſub tecto vívere,

## VII

1) *Quam dulcis ſit libertas, breviter proloquar.*

Dedit auctor,

*Quam dulce ſit libertas, breviter proloquar.*

*Dulce, res dulcis.* Virgil. Eclog. III.

*Dulce ſatis humor, depulſis arbutus haedis.*

3) *Forte occurrit. Salutantes dein invicem*

*Ut reſtiterunt; unde ſic quaeso nites?*

Priore verſu numeri inconcinni ſunt; *Salutantes* autem constructionem vitiat; poſt ſe enim poſtulat *Inquiunt*; non, quod in ſententia eſt, *Inquit*. Codices, fide Gudii, habent *Dein salutantes invicem*; unde facilis eſt emendatio:

*Forte occurrit: dein salutans, invicem*

*Ut reſtiterunt, unde ſic quaeso nites?*

*Ut invicem reſtiterunt*; uterque ſcilicet ſimul: ne, cane progrediente, fruſtra lupus haec loqueretur, nullo audiente.

[Uſitatum fuiſſe Perfectum *Occucurri*, contra Anglum anonymum teſtabitur Gellius, N. A. VII, 9. *Ed.*]

13) *Quanto eſt facilius míhi ſub tecto vívere*

*Et otioſum largo ſatiari cibo.*

Cur quaeso *Facilius*? quod tam dura lege conceditur, ut lupus conditionem recuſet. *Facile vívere, agere*, nota quidem phraſis; ſed ſi hic *Facilius* conjungas cum *Vivere*; quid fiet de *Quanto eſt*, quod nudum deſtitnetur? Dedit, opinor, Auctor,

*Quanto eſt utiliſus míhi, ſub tecto vívere?*

Vel ſi quovis modo *Facilius* retinendum ſit, hoc modo reſingas licet: *Cur patiar nives?*

Et ótiose lárگو saturarí cibo? —  
 Veni érgo mecum. — Dúm procedunt, ádspicit 15  
 Lupus á catena cóllum detritúm Cani.  
 Unde hóc, amice? -- Níhil est. -- Dic, quaesó, tamen. ---  
 Quia vídeor acer, álligant me intérdiu,  
 Luce út quiescam, et vígilem, nox quum vénerit:  
 Crepúsculo, solútus, qua visum ést, vagor. 20  
 Adfértur ultro pánis; de mensá sua  
 Dat óssa dominus; frústa jactat fámilia,  
 Et, quód fastidit quisque, pulmentárium:  
 Sic sine labore vénter impletúr meus. —  
 Age, sí quo abire est ánimus, est licéntia? — 25  
 Non pláne est, inquit. — Frúere, quae laudás, Canis!  
 Regnáre nolo, líber ut non sim mihi.

## FAB. VIII.

## FRATER ET SOROR.

**P**raecépto hoc monitus saepe te confídera.  
 Habébat quidam filiam turpíssimam,  
 Itidemque insignem púlcrá facie filium.

Quando est, facilius mihi sub tecto vivere.

Utrumvis horum praetuleris, omnino lege cum Heinſio *Otiose*; ne pro dativo accusativum ponas: et versu ſequenti lege *Canis*, non *Canis*.

## VIII.

1) *Praecepto monitus saepe te confidera.*

Recte Schefferus, *Praecepto hoc*. Vide II, 2.

3) *Itidemque insigni et pulchra facie filium.*

*Insignis*, si in laude est, majus quid est quam *Pulchra*, et male locum priorem occupat, sententia decrescente. Sed cum saepius de Facie in vituperationem capiatur *Insignis et Insignitus*; ut Cicero De Leg. III, 8. *Insignis ad deformitatem puer*; quis non videat prave ac ambigue hic poni? Ab Auctore, credo, hoc erat:

*Itidemque ingenua et pulchra facie filium.*

Notum illud,

*Ingenui vultus puer ingenuique pudoris.*

Martial. III, 33.

*Si facie nobis haec erit ingenua.*

[Malim equidem: *Itidemque insignem pulchra f. f. Ed.*]

Hi spéculum in cathedra mátris ut positúm suae,  
 Pueríliter ludéntes, forte inspéxerant, 5  
 Hic sé formosum jáctat, illa iráscitur,  
 Nec glóriantis sústinet fratris jocos,  
 Accípiens quippe cúncta in contuméliam.  
 Ergo ad patrem decúrrit, laesura ínvicem;  
 Magnáque invidia críminatur fílium, 10  
 Vir nátus quod rem féminarum tétigerit.  
 Ampléxus ille utrúmque, et carpens óscula,  
 Dulcémque in ambos caritatem pártiens:  
 Quotídie, inquit, spéculo vos utí volo,  
 Te, fórmam ne corrúmpas nequitiaé malis: 15  
 Te, faciém ut ístam móribus pensés bonis.

4) *Hi speculum in cathedra matris, ut positum fuit.*  
*Ut positum fuit:* indignum hoc est tanto auctore. Lege, oratione  
 continuata,

*Hi speculum in cathedra matris ut positum suae  
 Pueriliter ludentes forte inspexerant.*

Ubi ordo est, *Hi, ut forte inspexerant speculum, etc.*

8) *Accipiens quid enim cuncta in contumeliam.*  
*Quid enim* apud Virgilium, Horatium aliosque reperiri scio; sensu  
 tamen, qui huic loco non convenit. Repone:  
*Accipiens quippe cuncta in contumeliam.*  
*Quippe* hic causam reddit, cur jocos fratris non sustineret. Sic  
 I, 28.

*Contempsit illa, tuta quippe ipso loco.*

et III, 2. *Quidam contra miseriti,*

*Periturae quippe, quamvis nemo laederet.* Causam habes, cur  
 illa contemserit, hi miseriti sint. Error, ut passim, ex scribendi  
 compendio natus.

9) *Ergo ad patrem cucurrit.* Recte codd. et editio princeps *Decur-*  
*rit;* tempore praesenti, ut mox *Criminatur.* Decurrit, hoc est,  
*Confugit.*

12) *Amplexus utrumque ille et carpens oscula.*

Codices et editiones veteres, rectius,

*Amplexus ille utrumque.*

15) *Tu formam ne corrumpas nequitiae malis,*

*Tu faciem ut istam moribus vincas bonis.*

Recte habet *Nequitiae malis*, et perperam mutant. Juvenalis XIV;  
 216, eodem ac hic sensu,

*Parcendum est teneris: nondum implevere medullas*

*Nativae mala nequitiae.*

Bis, ter tamen hic peccatum est, quod nemo deprehendit. Repone:

D



## FAB. IX.

## SOCRATES AD AMICOS.

Vulgare amici nomen, sed rara est fides.  
 Quum parvas aedes sibi fundasset Sócrates,  
 (Cujus non fugio mortem, si famam adsequar,  
 Et cedo invidiae, dum modo absolvár cinis)  
 E populo sic, nescio quis, ut fieri solet: 5  
 Quaeso, tam angustam, talis vir, ponis domum?  
 Utinam, inquit, veris hanc amicis impleam!

## FAB. X.

## RES GESTA SUB AUGUSTO.

Periculosum est credere et non credere.  
 Utriusque exemplum breviter exponam rei.  
 Hippolytus obiit, quia novercae creditum est:  
 Cassandreae quia non creditum, ruit Ilium.  
 Ergo exploranda est veritas multum, prius 5

*Te, formam ne corrumpas nequitiae malis;*

*Te, faciem ut istam moribus penes bonis.*

Volo vos, ait, uti speculo; unde idem casus sequitur, *Te, Te.*  
*Vincere faciem* quid hic faciat, nullus video. *Pensare malam formam moribus bonis* proprie dicitur. Plinius IX, 41. de Eche-  
 neide, *Quae crimina una laude pensat.* Sappho in Ovid. Ep.

*Si mihi difficilis formam natura negavit,  
 Ingenio formae damna rependo meae.*

[Idem, Ep. Phyllidis ad Demoph. 143.]

*Stat nece matura tenerum pensare pudorem. Ed.]*

## IX.

- 2) *Fundasset.* Fundamenta domus jecisset. Hoc enim significat *fundare*, non exstruere. Idem est *ponere domum* v. 6. *Heuf.*

## X.

- 1) *Periculosum est credere, et non credere.*

Repone, sententia gratias agente,

*Periculosum, et credere et non crederé.*

[Necessaria non videbatur emendatio. Ed.]

- 5) *Ergo exploranda est veritas multum prius,*

*Quam stulta prave judicet sententia.*

*Multum prius:* quis sic dicentem ferat pro *Multo?* Terent. *Hec.* IV, 1. *Multo prius, quam tu, illum scivi.* Hoc opinor videns Schefferus divellit verba, ut ordo fit, *Multum exploranda priusquam,* etc. Sed laterem lavat: cum in istam sententiam *stulta prave* itul-

Quam stulta prave iudicet sententia.  
 Sed fabulosam ne vetustatem eleves,  
 Narrabo tibi, memoria quod factum est mea.  
 Maritus quidam quam diligeret conjugem,  
 Togamque puram iam pararet filio, 10  
 Seductus in secretum a liberto est suo,  
 Sperante, heredem suffici se proximum.  
 Qui cum de puero multa mentitus foret,  
 Et plura de flagitiis castae mulieris,  
 Adjecit (id quod sentiebat maxime, 15  
 Doliturum amanti), ventitare adulterum,  
 Stuproque turpi pollui famam domus.  
 Incensus ille falso uxoris crimine,  
 Simulavit iter ad villam, clamque in oppido  
 Subsedit: dein de nocte subito januam 20

tissime ingerantur. *Veritas multum exploranda est, priusquam sententia iudicet*: hoc recte. Priusquam *stulta* iudicet, hoc ineptissime: cum veritate explorata, non possit esse *stulta*. Repone auctoris verba:

*Ergo exploranda est veritas multum et diu,  
 Ne stulta prave iudicet sententia.*

*Multum et diu* saepe conjuncta veniunt. Plaut. Mostell. I, 2.

*Recordatus multum et diu cogitavi.*

[*Prius quam pro potius quam dixit*, ut Livius 3, 44. extr. neu patiatur virginem adultam famae prius quam libertatis periculum adire. Ed.]

7) *Sed fabulosa ne vetustate elevem.*

Quid cavet ne *elevet*? Sententia manca est et nihil dicit. Codices, teste Gudio, *vetustatem*. Repone,

*Sed fabulosam ne vetustatem eleves.*

Ne contempnas ista Hippolyti et Cassandrae, ut *vetusta et ficta*. Lucanus IX, 359.

*Invidus, annofo famam qui derogat aevo.*

11) *Seductus in secretum a liberto suo.*

Repone, ne pendeat sententia,

*Seductus in secretum a liberto est suo.*

13) *Qui, dum de puero multa mentitus foret.*

Jam diu recte reposuerunt *Cum*.

20) *Subsedit: deinde noctu subito januam.*

Repone quod concinnius est, ideoque et verum:

*Subsedit: dein de nocte subito januam.*

Terent. Adel. V, 3.

*Cum primo luci ibo hinc. De nocte censeo.*

Intrávit, recta cúbiculum uxoris petens;  
 In quó dormire máter natum jússerat,  
 Aetátem adultam sérvans diligéntius.  
 Dum quaérunt lumen, dúm concursat fámilia,  
 Irae furentis ímpetum non súltinens, 25  
 Ad léctum accedit, téntat in tenebrís caput,  
 Vt séntit tonsum, gládio pectus tránfigit,  
 Nihil respiciens, dúm dolorem vándicet.  
 Lucérna allata, símul adspexit fílium,  
 Sanctámque uxorem dórmientem cúbiculo, 30  
 Sopíta primo quaé nil somno sénserat;  
 Repraésentavit ín se poenam fácinoris,  
 Et féro incubuit, quód credulitas strínxerat.  
 Accúfatores póstularunt múlierem,  
 Romámque pertraxérunt ad Centúmviros. 35  
 Maligna ínsontem déprimit suspício,  
 Quod bóna possideat: stánt patroni, fórtiter  
 Caussám tuentes ínnocentis féminae.  
 A Dívo Augusto túnc petiere júdices,  
 Vt ádjuvaret júris jurandí fidem, 40  
 Quod ípsos error ímplicuíset críminis.  
 Qui póstquam tenebras díspulit calúmniae,

29) *Lucerna adlata.* Recte Heinſius, *Inlata.* Exempla paſſim obvia ſunt.

[Sed latiniffimum tamen eſſe *lucernam afferre*, Burm. demonſtravit. *Ed.*]

40) *Ut adjuvaret jurisjurandi fidem.*

Noſter infra IV, 4. in re non diſſimili, cum ſenſus teſtamenti colli-  
 ligi non poſſet,

*Fidem advocavit, jure neglecto, parens.*

An et hic legendum,

*Uſ advocarent jurisjurandi fidem.*

Hoc eſt, cum nec condemnare múlierem, nec abſolvere vellént,  
 petiere Centumviri ab Augusto, *Ut liceret eis ejurare illud judi-  
 cium; quoniam ſibi non liqueret.*

[*Ut adjuvaret i. i. f.*, id eſt, inquit Burm., ut ipſorum religioni  
 ſubveniret Caefar, ſive ipſis, qui jurati erant iudices, et inter-  
 ventu ſuo provideret, ne per imprudentiam male judicarent, atque  
 ita violarent jusjurandum, quod dederant, ſecundum leges ſe ju-  
 dicaturos. Sic Gronovius recte, ſenténtia clara et aperta. Cf. in-  
 fra 13, 8. *Ed.*]

Certúmque fontem véritatis réperit,  
 Luat, inquit, poenas, caússa, libertús, mali:  
 Namque órnam nato símul et privatám viro, 45  
 Miserándam potius quám damnandam exístimo.  
 Quod sí tam vána perscrutatus crimina  
 Patér familias éssét, sí mendácium  
 Subtíliter limássét a radicibus,  
 Non évertíssét scélere funestó domum. 50  
 Nil spérnat auris, néc tamen credát statim.  
 Quandóquidem et illi péccant, quos mínimé putes;  
 Et qui non peccant, impugnantur fraudibus.  
 Hoc admonere simplices etiám pótést,  
 Opinione altérius ne quid pónderent: 55  
 Ambítio namque díssidens mortálium  
 Aut grátiae subscribit, aut odió suo.  
 Erit ille notus, quém per te cognóveris.  
 Haec éxsecutus súm propterea plúribus,  
 Brevitáte nimia quóniam quosdam offéndimus. 60

47) *Quod si damnanda perscrutatus crimina.*

*Damnanda* iners hic et insulsum epitheton. In varias igitur conjecturas itum est. Rem acu tetigisse videor legendo,

*Quod si cunctando perscrutatus crimina.*

*Cunctando* opponitur versui 15.

*Irae furentis impetum non sustinens.*

Ennius,

*Unus homo nobis cunctando restituit rem.*

Juvenalis VI, 270.

*Quis testis adest? quis detulit? audi:*

*Nulla umquam de morte hominis cunctatio longa est.*

[Facilior et, ni fallor, probabilior est nostra emendatio, quam recepimus. Ed.]

## 48)

*Si mendacium*

*Subtíliter limássét, a radicibus*

*Non évertíssét scélere funestó domum.*

*Limare mendacium* nihil aliud significat, quam mendacium, jam impudens et incredibile, ita expolire et refingere, ut fidem mereatur. Quid ergo hic facit, ubi nullus tali sensui locus? Corrige et distingue,

*Si mendacium*

*Subtíliter rimatus a radicibus;*

*Non évertíssét scélere funestó domum.*

*Rimari a radicibus*, ut Plautus, *Ab stirpe exquirere.* *Esset bis hic accipitur; Si perscrutatus esset, si rimatus.*

## FAB. XI.

## EUNUCHUS AD IMPROBUM.

Eunúchus litigábat cum quodam improbo,  
 Qui, súper obſcoena dícta et petulans júrgium,  
 Damnum ínſectatus éſt amiſſi córporis:  
 Quin, áit, hoc unum éſt, cúr laborem válidius,  
 Intégritatis téſtes quía defúnt mihi. 5  
 Sed quíd fortunae ſtúlte delictum árguis?  
 Id démum éſt homini túrpe, quod meruít pati.

## FAB. XII.

## PULLUS AD MARGARITAM.

In ſtér culino púllus gallináceus  
 Dum quaérit eſcam, márgaritam ut réperit:  
 Jacés indigno, quánta res, inquít, loco!  
 Hic ſi quis pretii cúpidus vidiffét tui,  
 Olím rediffes ad ſplendorem máximum:  
 Ego quód te inveni, pótiór cui multo éſt cibus, 6

## XI.

4) *En, ait.* Recte Heinſius: *Quin, ait.*

## XII.

1) *In ſterquilinio.* Recte Gudius, *Sterculino*, verſu id flagitante,  
 Vide nos ad Terent. Phorm. III, 3, 4-

2) *Dum quaerit eſcam, margaritam repperit.*

Laxa haec et hiantia ſic connecte:

*Dum quaerit eſcam, margaritam ut repperit;  
 Facés indigno, etc.*

4) *Hoc ſi quis pretii cupidus vidiffet tui,*

*Olim rediffes ad ſplendorem maximum.*

Repone,

*Te ſi quis pretii cupidus vidiffet tui,  
 Olim rediffes ad ſplendorem priſtinum.*

Utrumque confirmat Romulus, Fab. I. *Si aliquis cupidus inveniffet te, gaudens te conſeſtim rapuiſſet, ut ad priſtinum ſplendorem decoris tui redires.* Nec minus ipſa ſententia utrumque flagitat.

[Verius videtur: *Hic ſi etc.*; hic, hoc loco. — Nec maximum damno, cum praefertim amet vocem poëta noſter. Vid. infra 4, 20, 21. 5, 5, 21. Ed.]

6) *Ego qui te inveni, potior cui multo eſt cibus,*

*Nec tibi prodeſſe, nec mihi quicquam potes.*

Nec tibi prodesse, nec mihi quicquam potest.  
Hoc illis narro, qui me non intelligunt.

## FAB. XIII.

## APES ET FUCI, VESPA JUDICE.

Apes in alta quercu fecerunt favos.  
Hos Fuci inertes esse dicebant suos.  
Lis ad forum deducta est, Vespa iudice;  
Quae genus utrumque nosset quum pulcerrime,  
Legem duabus hanc proposuit partibus: 5  
Non inconueniens corpus, et par est color,  
In dubium plane res ut merito venerit:  
Sed ne religio peccet imprudens mea,  
Alveos accipite et ceris opus infundite,  
Ut ex sapore mellis et forma favi, 10  
De quis nunc agitur, auctor horum appareat.  
Fuci recusant, Apibus conditio placet:  
Tunc illa talem sustulit sententiam:  
Apertum est, quis non possit, ac quis fecerit:  
Quapropter Apibus fructum restituo suum. 15  
Hanc praeterissem fabulam silentio,  
Si pactam Fuci non recusassent fidem.

Oratio soloeca est: pro *Potes* requiritur *Possum*. [Rectius dicendum foret, requiri utrumque. *Ed.*] Egregie Heinsius,  
*Ego quod te inveni, potior cui multo est cibus,*  
*Nec tibi prodesse, nec mihi quicquam potest.*

## XIII.

- 1) *Apes in alta quercu fecerant favos.*  
Codices, fide Gudii, *Fecerunt*. Repono,  
*Apes in alta quercu ut fecerunt favos.*
- 13) *Tunc illa talem sustulit sententiam.*  
Codices *Sententia*. Repono,  
*Tunc illa hac litem sustulit sententia.*  
[Minime necesse est, ita corrigi. *Ed.*]
- 14) Vulgo: *aut quis fecerit*, minus recte. *Ed.*
- 17) *Si pactam fuci non recusassent fidem.*  
Nec quid omnino sit, *Recusare pactam fidem*, scio; nec ullum quod fuci fecerint pactum hic inuenio. *Lex eis five conditio* proposita est, quam recusarunt: *Pactio nulla intervenit*. Reponendum puto,

## AESOPUS LUDENS.

Puerorum in turba quidam ludentem Atticus  
 Aesopum nucibus quum vidisset, restitit,  
 Et quasi delirum risit. Quod sensit simul  
 Derisor potius quam deridendus senex,  
 Arcum retensum posuit in media via;  
 Heus, inquit, sapiens, expedi quid fecerim.  
 Concurret populus: ille se torquet diu,  
 Nec quaestionis positaе causam intelligit,  
 Novissime succumbit. Tum victor sophus:  
 Cito rumpe arcum, semper tensum si habueris; 10  
 At si laxaris, quum voles, erit utilis.  
 Sic ludus animo debet aliquando dari,  
 Ad cogitandum melior ut redeat sibi.

## AGNUS A CAPELLA NUTRITUS.

Inter Capellas Agno palanti Canis,  
 Stulte, inquit, erras, non est haec mater tua;  
 Ovesque segregatas ostendit procul.  
 Non illam quaero, quae, quum libitum est, concipit,  
 Dein portat onus ignotum certis mensibus, 5

*Si legem fuci non recusassent datam.*

[*Pacta fides*, inquit Burm. (Epist. crit.) Senecae, Hippol. 953.  
 est promissum; hic vero *pactum*, quod recusasse dicuntur, quia ad  
 Vespam rem deferre mutuo consenserant.]

## XIV.

10) *Cito rumpe arcum, semper si tensum habueris.*  
 Sententia perabsurda. Dum enim *tensus habetur arcus*, quomodo  
*rumpi* potest? Si *semper tensus*, quomodo *cito* rumpetur? Repono,  
*Corrumpe arcum, semper tensum si habueris.*

[Argutatur Vir eruditissimus. Ed.]

13) *Ad cogitandum melior ut redeat tibi.*

Immo repono,

*Ad cogitandum melior ut redeat sibi,*

Non *Tibi*; nam animus cujusque is est quisque.

## XV.

5) *Dein portat onus ignotum certis mensibus.*

Novissime prolapsam effundit sarcinam:  
 Verum illam, quae me nutrit admoto ubere,  
 Fraudatque natos lacte, ne desit mihi.  
 Tamen illa est potior, quae te peperit. — Non ita est,  
 Unde illa scivit, niger an albus nascerer? 10  
 Age porro scisset, quum crearer masculus,  
 Beneficium magnum sane natali dedit,  
 Ut exspectarem lanium in horas singulas.  
 Cujus potestas nulla in gignendo fuit,  
 Cur hac sit potior, quae jacentis miserita est, 15  
 Dulcemque praestat sponte benevolentiam?  
 Facit parentes bonitas, non necessitas.  
 His demonstrare voluit auctor versibus,  
 Obistere homines legibus, meritis capi.

## FAB. XVI.

## CICADA ET NOCTUA.

Humánitati qui se non accommodat,  
 Plerumque poenas oppetit superbiae.  
 Cicada acerbum noctuae convicium  
 Faciebat, solitae victum in tenebris quaerere,

Cur *Ignotum*? an quia in utero clausum et nondum visum? atqui eodem nomine et cor, pulmones, intestina dici possent *Ignota*.  
 Corrige,

*Dein portat onus ingratum certis mensibus.*

Recte elevat matris beneficia; quod non libenter, sed ingratis, onus portaret. Catull. 69.

*Ingratum tremuli tolle parentis onus.*

[Non prorsus spernendi Viri docti, qui *latens onus*, quod est apud Ovid. Amor. II, 13. et Senec. ep. 124. eodem plane modo dictum volunt, quo hic *ignotum onus*. Sed recte monet Burmannus, respici ad v. 10. Ed.]

10) *Niger an abbus*. Nigrae oves, minus gratae, citius mactabantur. Significat igitur, matrem nescisse, utrum se vitae, an morti pareret. *Heuf.*

13) *Exspectarem lanium*. Masculi enim non facile feturae aluntur, sed lanio mactandi traduntur. *Id.*

16) *Dulcemque sponte praestat benevolentiam*.

Reponé, non parvo versus commodo:

*Dulcemque praestat sponte benevolentiam.*



Cavóque trunco cápere somnum intérdiu. 5  
 Rogáta est, ut tacéret. Multo válidius  
 Clamáre coepit. Rúrsus admotá prece,  
 Accénfa magis est. Nóctua, ut vidit, sibi  
 Nullum ésse auxiliúm, et vérba contemní sua,  
 Hac ést adgressa gárrulam fallácia: 10  
 Dormíre quia me nóñ finunt cantús tui,  
 Sonáre citharam quós putes Apóllinis,  
 Potáre est animus néctar, quod Pallás mihi  
 Nupér donavit: sí non fastidís, veni;  
 Uná bibamus. 'Illa, quae ardebát siti, 15  
 Simúl cognovit vócem laudari suam,  
 Cupide ádvólavit. Nóctua egressa é cavo  
 Trepidántein confectáta est et letó dedit.  
 Sic víva, quod negárat, tribuit mórtua.

## F A B. X V I I.

## ARBORES IN DEORUM TUTELA.

Olím quas vellent ésse in tutelá sua  
 Diví legerunt árbores; quercús Iovi,  
 Et myrtus Veneri plácuít, Phoébo laúra,  
 Pinús Cybebae, pópulus celsa Hérculi.

## XVI.

5) *Cavoque ramo capere somnum interdium.*  
*Ramus arboris non temere cavus est. Dedit Auctor,*  
*Cavoque trunco capere somnum interdium.*  
 Horat. Carm. II, 19. *Atque truncis*  
*Lapsa cavis iterare mella.*

6) *Rogata est, ut taceret. multo validius.*  
 Repone, quod hiulca ista connectat,  
*Rogata, uti taceret, multo validius*  
*Clamare coepit.*  
 [Sed ad vivum magis expressa sunt vulgata. Ed.]

12) *Sonare cithara quos putes Apollinis.*  
 Repone,  
*Sonare citharam quos putes Apollinis.*  
 Ordo est, *Citharam sonare cantus.*

## XVII.

3) Malim *At* myrtus, ut infra IV, 4, 5. *Unam — At alteram, —*  
*tertiam. Ed.*

Minérva admirans, quáre steriles súmerent, 5  
 Intérrogavit, caússam, Dixit lúpiter :  
 Honórem fructu né videamur véndere.  
 At, Mehércule, illa, nárret, quod quis vóluerit,  
 Olíva nobis própter fructum est grátior.  
 Tunc sic Deorum génitor atque hominúm sator: 10  
 O náta, merito sápiens dicere ómnibus :  
 Nisi útile est, quod fácimus, stulta est glória.  
 Nihil ágere, quod non prófit, fabella ádmonet.

## FAB. XVIII.

## PAVO AD JUNONEM DE VOCE SUA.

Pavo ád Junonem vénit, indigné ferens,  
 Cantús luscinii quód sibi non tríbuerit :  
 Illum ésse cunctis ávibus admirábilem,  
 Se dérideri, símul ac vocem míserit.  
 Tunc cónsolandi grátia, dixit Dea: 5

6) *Interrogavit. Causam dixit Juppiter.*  
 Distingue,

*Minerva, admirans quare steriles sumerent,  
 Interrogavit causam. Dixit Juppiter.*

7) *Honore fructum ne videamur vendere.*

Rectius, opinor, alii:

*Honorem fructu ne videamur vendere.*

hoc est, Honorem quem tribuimus, fructu quem accipimus.

8) *At mehercule narrabit, quod quis voluerit.*

Versus claudicat, quem sic emendandum puto,

*At, Mehercule, illa, narret quod quis voluerit.*

Ita III, 2.

*At illa, Memini qui me saxo petierint.*

I, 25. At ille, *Facerem mehercule.* I, 21. At ille *expirans.* I,

15. At ille *lentus.* *Narret autem, potius quam Narrabit;* ut Plau-

tus *Perf. III, 1.*

*Dicat quod quisque volt, ego de hac sententia*

*Non demovebor.*

## XVIII.

3) *Illum esse cunctis auribus admirabilem.*

Codices quidem *Auribus*; sed jam olim reposuerunt *Avibus*, tam sententia quam versu gaudente. Cum admiratio solius Animi sit; scire velim, quo pacto Aures admirari possint.

5) *Tunc consolandi gratia dixit Dea.*

Admodum placet Heinsii conjectura *Hinc, consolandi gratia, dixit*

Sed forma vincis, vincis magnitudine,  
 Nitór smaragdi cóllo praefulgét tuo,  
 Pictisque plumis gémmeam caudam éxplicas. —  
 Quo mi, inquit, mutam spéciem, si vincór sono? —  
 Fatórum arbitrio pártes sunt vobis datae: 10  
 Tibi forma, vires áquilae, luscinió melos,  
 Augúrium corvo, laéva cornici ómina;  
 Omnésque propriis sún contentae dótibus;  
 Noli ádfectare, quód tibi non ést datum,  
 Delúsa ne spes ád querelam récidat. 15

## FAB. XIX.

## AESOPUS AD GARRULUM.

Aesópus domino sólus cum esset fámilia,  
 Paráre coenam jússus est matúrius.  
 Ignem érgo quaerens, áliquot lustravít domus,  
 Tandémque invenit, úbi lucernam accénderet.  
 Tum circumeunti fúerat quod iter lóngius, 5  
 Effécit brevius: námque recta pér forum  
 Coepít redire. Hic quídam e turba gárrulus,  
 Aesópe, medio sóle quíd cum lúmíne?  
 Hominem, inquit, quaero, et ábiit festináns domum.  
 Hoc sí molestus ílle ad animum rétulit, 10  
 Sensít profecto, se hómínem non visúm seni,  
 Intémpestive qui óccupato adlúserit.

## FAB. XX.

## ASINUS ET GALLI.

Qui nátus est infélix, non vitám modo

*Dea; qua etiam per verba clarum redditur, quem consolari voluerit dea. Ed.*

13) *Omnes quae propriis sunt contentae vocibus.*

«Egregie Heinsius,

*Omnesque propriis sunt contentae dotibus.*

## XIX.

7) *Coepit redire. Et quidam e turba garrulus.*

Recte Heinsius, *Hic quidam, id est, Tum.*

Tristém decurrit, vérum post obitúm quoque  
 Perséquitur illum dúra fati míseria.  
 Gallí Cybébes círcum pagos dúcere  
 Afinúm solebant bájulantem fárcinas. 5  
 Is cúm labore et plágis esset mórtuus,  
 Detrácta e pelle síbi fecerunt tympana.  
 Rogáti mox a quódam, delició suo  
 Quidnám fecissent? hóc jocati súnť modo:  
 Putábat, se post mórtē securúm fore, 10  
 Ecce áliae plagae cóngeruntur mórtuo.

EXPLICIT LIB. III.

## XX.

- 4) *Galli Cybébes círcum quæstus dúcere.*  
 Pro *Quæstus* dedit auctor *Vicos* vel *Pagos*. Babriás in eadem fa-  
 bula *κώμη* usurpat:  
 Οὔτοι δὲ κύκλω πᾶσαν ἐξ ἑῶς κώμην  
 Περιιόντες, etc.  
 Hi de more omnes vicos circumeuntes. Glossae veteres, *κώμη*,  
*vicus, pagus*.
- 6) *Is cum labore et plagis esset mortuus.*  
 Repone,  
 Huic, cum labore et plagis esset mortuus,  
 Detracta pellē.  
 [Durissimum huic. Neque sic tamen constat, per verba quidem,  
 ex pellē afini facta esse a sacerdotibus tympana, sed tantum, facta  
 esse. Addenda fuit praepositio. Ed.]
- 9) *Quidnam fecissent, hoc locuti sunt modo.*  
 Recte Heimsius, *Hoc jocati sunt modo*.

# I N C I P I T L I B E R Q U A R T U S.

## P R O L O G U S.

Joculáres tibi vidéntur, (et sané, levi,  
Dum níhil habemus május, calamo lúdimus ;)  
Sed díligenter íntuere has naénias,  
Quantám sub illis útilitatem réperies ?  
Non sémper res sunt, quód videntur: decipit 5  
Frons práma multos: rára mens intélligit,  
Quid intériore cóndidit cura ángulo.

### P R O L.

1) *Jocularé tibi videtur: et sane levi,*

*Dum nihil habemus majus, calamo ludimus.*

*Leve* in codicibus est; *Levi* a Scheffero venit. Atqui haud dixerit quis *levi calamo*, eo sensu, quo *Levi brachio*, *Leviore tyra*; quia *Levis* generale *calami* Epitheton est, neque quicquam novae significationis addit. Virgil. Eclog. V.

*Tu calamos inflare leves, ego dicere versus.*

Martial. IX, 75.

*Frangere leves calamos, et scinde, Thalia, libellos.*

Mallet autem Heinsius, *Joculares tibi videmur*: frustra, nisi fallor; cum *Jocosus* quidem tam de Persona quam Re praedicetur, *Jocularis* de Re tantum. Dedit, opinor, Auctor,

*Jocularé hoc tibi videtur: et sané rei*

*Dum nihil habemus majus, calamo ludimus,*

*Nihil rei*, ut Ter. Adel. IV, 5.

*Tibi vero quid istic rei fuit. Nihil mihi quidem.*

et II, 1. *Quid tibi rei mecum est? Nihil.*

*Rei* in fine versus, ut Noster IV, 3. *Parvae vindictam rei Dum quaero demens. Dum rei nihil habemus majus, dum graviore negotio non occupamur.* Terent. And. V, 4. *Habet aliud magis ex sese, et majus.*

[Minore negotio rescripti *videntur*, i. e. hae naeniae, ex sequentibus, verba autem *et sane — ludimus*, παραδεικνῶς accipio. Ed.]

5) *Non semper ea sunt, quae videntur.*

*Ea* ad *Naenias* referri, genus Neutrum prohibet: nihil autem est aliud, quo referatur. Repone:

*Non semper res sunt, quod videntur.*

Exemplo in proxima Fabula Mustela est, quae Farina et Esca videbatur, sed non erat.

7) *Quod interiore condidit cura angulo.*

Repone,

*Quid interiore condat natura angulo.*

Hoc né locutus sine mercede existimer,  
Fabellam adjiciam DE MUSTELA ET MURIBUS.

FABULA I.

MUSTELA ET MURES.

Mustela quum annis et senecta debilis  
Mures veloces non valeret adsequi,  
Involvit se farina, et obscuro loco  
Abjecit negligenter. Mus escam putans  
Adsiluit, et comprehensus occubuit neci:  
Alter similiter periit; deinde et tertius,  
Alios secutus, venit; at retrorridus,  
Qui saepe laqueos et muscipula effugerat;  
Procul qui insidias cernens hostis callidi:  
Sic valeas, inquit, ut farina es, quae jaces. 10

FAB. II.

VULPES ET UVA.

Fame coacta Vulpes alta in vinea  
Uvam adpetebat, summis saliens viribus,  
Quam tangere ut non potuit, discedens, ait:  
Nondum matura est, nolo acerbam sumere.

Ter. Phorm. V, 6.

Num tu intellegis, quid hic narret?

Nostr III, 3.

Naris emunctae senex,

Natura numquam verba cui potuit dare.

Hi tres versus non ad fabulas has spectant, sed Γνώμηs sunt et generales sententiae.

3) *Sine mercede.* Sine utilitate, fructu, praemio. *Burm.*

I.

5) *Adsiluit, et comprehensus occubuit neci.*

Recte jam olim reposuerunt *Comprehensus.*

6) *Alter similiter, deinde periit tertius.*

Codices habent, *Periit et tertius.* Repone,

*Alter similiter periit, deinde et tertius,*

Romulus in hac Fabula:

*Alter similiter capitur, deinde et tertius.*

9) *Vulgo: Proculque insidias.* Frigide. *Ed.*

Qui, fácere quæ non póssunt, verbis elevant;  
Adscribere hoc debébunt exemplúm sibi.

## FAB. III.

## EQUUS ET APER.

Equús sedare sólitus quo fuerát sitim,  
Dum sése Aper volútat, turbavít vadum.  
Hinc órta lis est. Sónipes iratús fero,  
Auxílium petiit hómínis, quem dorso levans  
Rediit ad hostem. Jáctis hunc telis eques  
Postquam interfecit, sic locutus tráditur:  
Laetór, tulisse auxílium me precibús tuis:  
Nam praédam cepi, et dídici, quam sis útilis:  
Atque íta coëgit frénos invitúm pati.  
Tum moéstus ille: Párvae vindictám rei  
Dum quaéro demens, sérvitutum réperi.  
Haec íracundos ádmonebit fábula,  
Impúne potius laédi, quam dedi álteri:

## FAB. IV.

## AESOPUS INTERPRES TESTAMENTI.

Plus esse in uno saepe quam in turbá boni,  
Narrátione pósteris tradám brevi.  
Quidám decedens trés reliquit filias;  
Unám formosam, et óculis venantém viros;  
At álteram laníficam, frugi, et rústicam;  
Devótam vino tértiam, et turpíssimam.  
Harum autem matrem fécit heredém senex

## III.

5) *Rediit ad hostem. Jactis hunc telis eques.*

Codices sic exhibent: *Redit ad hostem laetus: jactis hunc telis eques.* Viri eruditi ex versu ejecerunt *Laetus: quod tamen sine sententiae damno abesse non potest. Dedit Auctor:*

*It in hostem laetus. Jactis hunc telis eques.*

Virgil. Aen. XI. *Neg longe scilicet Hostes*

*Quaerendi vobis; circumstant undique muros.*

*Imus in adversos! quid cessas?*

*It in hostem, hostili animo: Redit ad hostem, etiam qui in gratiam rediturus est.*

Sub cōditione, tōtam ut fortunām tribus  
 Aequaliter distribuat, sed tali modo:  
 Ne data possideant aut fruantur; tūm, simul 10  
 Habere res desierint, quas accēperint,  
 Centēna matri cōferant sestertia.  
 Athēnas rumor implet; mater sēdula  
 Jurisperitos cōsultat; nemo expedit,  
 Quo pacto non possideant, quod fuerit datum, 15  
 Fructūmve capiant; deinde, quae tulerint nihil,  
 Quanam ratione cōferant pecūniam.  
 Postquām consumpta est tēporis longi mora,  
 Nec tēstamenti pōtuit sensus colligi,  
 Fidem advocavit, jūre neglecto, parens. 20  
 Sepōnit moechae vēstem, mundum mūliebrem,  
 Lavationem argenteam, eunuchos glabros:  
 Lanificae agellos, pecora, villam, operarios,  
 Bovēs, jumenta, et instrumentum rústicum:  
 Potrici plenam antiquis apothecam cadis, 25  
 Domum politam, et delicatos hortulos.  
 Sic destinata dare quum vellet singulis,  
 Et adprobaret populus, qui illas noverat,  
 Aesopus media subito in turba constitit:

15) *Quo pacto non possideant, quod fuerat datum.*  
 Lege, *Fuerit.*

16) *Fructumve capiant: deinde quae tulerint nihil.*  
 Repone, *Deinde quae habuerint nihil: ut supra v. 11. Tam simul*  
*habere res desierint.*  
 [Vulgata recte habet: nam sic *fructus ferre*, pro *accipere* dixit  
 Cicero, etc. *Ed.*]

19) *Testamenti sensus.* Rarius *sensus* pro *sententia* dicitur. Vide  
 tamen Cellar. cur. post. p. 88. Quintil. lib. I. c. 9. p. 99. in Bur-  
 mann. Ovid. V. Fast. 484. *Heuf.*

20) *Fidem advocavit.* *Advocare* est vocare aliquem, qui consilio ju-  
 vet. Fidem itaque *advocavit*, dum ex bona fide, ex aequo bo-  
 noque, testamentum interpretata est, et hereditatem divisit. *Heuf.*

29) *Aesopus media subito in turba constitit.*  
 Repone *Ut*, quod fere semper omiserunt Librarii;  
*Aesopus media subito in turba ut constitit.*  
 [Ut post *cum* nemini placebit, neque illud necessario requiritur.  
*Ed.*]



O si maneret cōdito sensús patri, 30  
 Quam gráviter ferret, quód voluntatém suam  
 Intérpretari nōn potuerint Attici!  
 Rogátus deinde, sólvit errorem ómnium.  
 Domum et órnamenta cūm venustis hórtulis  
 Et vína vetera dáte lanificae rústicae: 35  
 Vestem, úniones, pédissequos et cétera  
 Illi ádsignate, vítam quae luxú trahit.  
 Agrós, et villam, pécora cum pastóribus  
 Donáte moechae. Núlla poterit pérpeti,  
 Ut móribus quid téneat alienúm suis: 40  
 Defórmis cultum véndet, ut vinúm paret;  
 Agrós abjiciet moécha, ut ornatum ímperet;  
 At illa, gaudens pécore, et lanae dédita,  
 Quacúnque summa trádet luxuriam et domum.  
 Sic núlla possidébit, quod fuerit datum, 45  
 Et díctam matri cónferent pecúniam  
 Ex prétió rerum, quas vendiderint síngulae.  
 Ita, quód multorum fúgit imprudéntiam,  
 Uníus hominis réperit solértia.

32) *Interpretari non potuissent Attici.*  
*Lege Potuerint.*

38) *Agros, vités, et pecora cum pastoribus.*  
 Illud *Vites*, cum syllabam posteriorem acuat, tam metro, quam  
 sententiae nocet. Codices habent non *Vites*, sed *Utiles*. Repono,  
*Agros et villam et pecora cum pastoribus.*  
 Firmat hoc versus 23.  
*Lanificae agellos, pecora, villam, operarios.*

41) *Deformis cultum vendet, ut vinum paret.*  
 Cum *Paret* etiam proximo versu et eodem pede iteretur, Grono-  
 vius ex conjectura *Petat*. Atqui *Vinum petere*, est ex taberna ve-  
 nale subinde petere, non domi in penu possidere. Repono,  
*Deformis cultum vendet, ut vinum bibat.*  
 [Probabilius nos *imperet*, voce *graphica*, et in qua facillime labi  
 poterant librarii. *Ed.*]

44) *Luxuriae domum.* Sic vulgo, i. e.: Nimio sumtu exstructam  
 et politam, Burmanni verbis. Sed dubito, hanc significationem  
 probari posse. Nostra dedit Anonymus quidam Anglus. *Ed.*

## FAB. V.

## PUGNA MURIUM ET MUSTELARUM.

Quum victi Mures Mustelarum exercitum  
 (História quorum et in tabernis pingitur)  
 Fugerent, et artos circum trepidarent cavos,  
 Aegre recepti, tamen evaserunt necem.  
 Ducés at horum, qui capitibus cornua  
 Suis ligarant, ut conspicuum in praelio  
 Habèrent signum, quod sequerentur milites,  
 Haesere in portis, suntque capti ab hostibus;  
 Quos immolatos victor avidis dentibus  
 Capacis alvi merisit tartareo specu.  
 Quemcunque populum tristis eventus premit,  
 Periclitatur magnitudo principum;  
 Minuta plebes facili praesidio latet.

5

10

## FAB. VI.

## P O E T A.

Tu qui, nasute, scripta desstringis mea,  
 Et hoc jocosum legere fastidis genus,

## V.

- 1) *Cum victi mures mustelarum exercitu.*  
*Victi exercitu, quo sodes exemplo sic loquamur? Repone,*  
*Cum victi mures mustelarum exercitum*  
*(Historia quorum et in tabernis pingitur)*  
*Fugerent.*

*Et, hoc est Etiam, et Heinsius viderat.*

[adeoque secundum fabulae versum, correxerat. *Ed.*]

- 5) *Duces eorum, qui capitibus cornua.*  
 Recte Heinsius: *Duces at horum.*  
 9) *Immolatos dentibus.* Singularibus Phaedri locutionibus adnumerat Burm. *Heuf.*

## VI.

- 1) *Tu qui, nasute, scripta desstringis mea.*  
 Repone,

*Tu qui nasutus scripta desstringis mea.*

[Sed similiter Persius III, 27.

*Hoc satis? an deceat pulmonem rumpere ventis,*  
*Stemmata quod Tusco ramum, millesime, ducis,*

*Censoreque tuum vel quod, trabeate, salutas. Ed.]*

Parvá labellum sústine patientia,  
 Sevérítatem fróntis dum placó tuæ.  
 En, in cothurnis pródit Aesópús novis. 5  
 Utinám neque unquam Pélii nemorís jugo  
 Pinús bipenni cóncidisset Théssala:  
 Nec ad professæ mórtis audacém viam  
 Fabricáset Argus ópere Palladió ratem,  
 Inhóspitalis prima quæ Pontí sinus 10  
 Patefécit, in perníciam Grajùm et Bárbarùm!  
 Namque ét superbi lúget Aetææ domus,  
 Et régna Peliae scélere Medeæ jacent,  
 Quæ saévum ingenium váriis involvéns modis  
 Illic per artus frátris explicuít fugam, 15  
 Hic caéde patris Péliadum infecít manus. —  
 Quid tíbi videtur? Hóc quoque insulsum ést, ais,  
 Falsóque dictum: lónge quia vetústior  
 Aegæa Minos clásse perdomuít freta,

3) *Parva libellum sustine patientia.*

Quid est *Sustine libellum*? ne pondere suo decidat, aut taedio tuo projiciatur? Nugae. Restituo sibi manum Auctoris,

*Parva labellum sustine patientia.*

In fastidio, contemptu, offensa labium inferius exporrigi solet. Tu, inquit, qui *fastidis* hoc genus jocorum, sustine parumper *labellum*; omitte fastidium et severitatem. Persius III, 81.

Murmura eum secum et rabiosa silentia rodunt,

*Atque exporrecto trutinantur verba labello.*

Juvenalis XIV, 325.

*Hoc quoque si rugam trahit, extenditque labellum.*

hoc est, ut ibi Scholiastes, *Si displicet et tristem facit.* et X, 67. de Sejani fastu et superbia: *Quae labra, quis illi Vultus erat?*

5) Vulgo *Et in c.*, quod vehementer friget. *Ed.*

6) *Pelii.* Thessaliae montis, ubi Argus a Pallade institutus, Jasonique ejusque comitibus navem exstruxit, qua in Colchidem, Aetææ regnum, navigarunt. Nota historia. *Ed.*

13) *Peliae*, avunculi Jasonis. Pelias autem, vasre inductis a Medea ipsius filiabus, quasi occisus et in frustra dissectus coctusque in lebetè pater juvenescere possit, interfectus est. Vid. Ovid. *Metam.* 7, 297. sqq. *Ed.*

15) Notum est, Medeam, cum Jasonè aufugientem, fratrem suum parvulum, a se interfectum, dissectasse, frustra in mare sparsisse, ut iis colligendis Aetæes a persequendo deterreretur. *Ed.*

19) Inter se commutat Phaedrus, ut saepe etiam alibi fit, duos Minones, Cretensium utrosque reges, quorum prior, qui ante expe-

Justoque vindicavit exemplo impetum, 20  
 Quid ergo possum facere tibi, lector Cato,  
 Si nec fabellae te juvant, nec fabulae?  
 Noli molestus esse omnino literis,  
 Majorem exhibeant ne tibi molestiam.  
 Hoc illis dictum est, qui stultitia nauseant, 25  
 Et, ut putentur sapere, nil non vituperant.

## FAB. VII.

## VIPERA ET LIMA.

Mordaciorum qui improbo dente appetit,  
 Hoc argumento se describi sentiat.  
 In officinam Fabri venit Vipera.  
 Hic cum tentaret, si qua res esset cibi,  
 Limam momordit. Illa contra, contumax: 5

ditionem Argonautarum vixit, legibus regnum suum donavit fabulerrinis, posterior autem, sub quo Theseus in Cretam pervenit, opibus nauticis clarus terrorque fuit piratarum Lyciorum, Carum et Phoenicum, qui tunc mare Aegaeum, seu Mediterraneum infestabant. Ed.

21) *Quid ergo possum facere tibi, lector Cato?*

Lege, *Quid ego ergo possum.*

[Superfedere possumus, opinor, huic emendationi. Ed.]

25) *Hoc illis dictum est, si qui stulti nauseant;*

*Et, ut putentur sapere, coelum vituperant.*

*Coelum vituperare*, numquam, quod falso aiunt, proverbii loco dictum est. Coelum enim crassum, insalubre, hibernum merito vituperatur. Pro *Siqui stulti Codices Qui stultitiam*. Repone:

*Hoc illis dictum est, qui consulto nauseant;*

*Et, ut putentur sapere, nil non vituperant.*

[Et scripturae Codicum, et sententiae causa, rescribere malimus, quod etiam Anonymo Anglo placebat, *stultitia*, hoc est, *propter stultitiam*, vel *stulte*. Nauseare enim, eo consilio, ut nauses (*consulto*), affectatus, opinor, dictum est, quam vel fabulae convenit, vel Phaedro. Ed.]

## VII.

4) *Haec cum tentaret, si qua res esset cibi.*

*Res tibi*, inquit, ut Graeci passim *χημα εως*, etc. Frustra tamen Hellenismus huc advocatur. - Repone:

*Hic cum tentaret, si qua res esset cibo.*

Si quid esset, quod edere posset. Hor. Serm. II, 6.

*Hoc juvat, et meli est; non mentiar,*

Quid me, inquit, stulta, dente captas laedere,  
Homini adsuēvi ferrum quae corrödere?

## FAB. VIII.

## VULPIS ET HIRCUS.

Homo simul venit in periculum callidus,  
Reperire effugium quaerit alterius malo.  
Quum decidisset Vulpis in puteum inscia,  
Et altiore clauderetur margine,  
Devēnit Hircus sitiens in eundem locum: 5  
Simul rogavit, esset an dulcis liquor  
Et copiosus? Illa fraudem moliens:  
Descende, amice! tanta bonitas est aquae,  
Voluptas ut non possit satiarī mea.  
Immisit se barbatus. Tum Vulpēcula 10  
Evāsit puteo, nixa cellis cornibus,  
Hircumque clauso liquit haerentem vado.

## FAB. IX.

## PERAE JOVIS.

Peras imposuit Júpiter nobis duas:  
Propriis repletam vitiis post tergum dedit,

[Vellem plura exempla protulisset Bentlejus. Dum hoc fiet, Helenisimum retineamus, qui Veteribus certe Latinorum scriptoribus, velut Plauto, placuit; et sectatur antiqua Noster. Ed.]

7) Vulgo: *Omne* adsuēvi. Sed friget h. l. adjectivum. Ed.]

## VIII.

1) *Homo simul ac venit in magnum periculum,  
Effugium reperire alterius quaerit malo.*

Haec et metro et sententia peccant. Repone,  
*Homo simul ac venit in periculum callidus,  
Reperire effugium quaerit alterius malo.*

Ita, teste Gudio, codex Remensis, nisi quod ex *Alterius quaerit* mutato ordine fecerim *Quaerit alterius*.

[Metri maxime causa pro *Simul ac* reposui *Simul*, cujus illud interpretamentum est. Ed.]

9) *Voluptas ut satiarī non possit mea.*

Lege, numero meliore,

*Voluptas ut non possit satiarī mea.*

Aliénis ante pectus suspendit gravem.  
 Hac ré videre nostra mala non possumus:  
 Alii simul delinquunt, censores sumus.

## FAB. X.

## FUR TEMPLUM COMPILANS.

Lucernam fur accendit ex ará Jovis,  
 Ipsúmque compilávit ad lumén suum;  
 Qui onústus sacrilégio quum discéderet,  
 Repénte vocem sancta misit Religio:  
 Malórum quamvis ista fuerint múnera,  
 Mihique invisa, ut non offendar súbripi;  
 Tamén scelesto spíritu culpám lues,  
 Olím quum adscriptus vénerit poenae dies.  
 Sed ne ignis noster facinori praelúceat,  
 Per quém verendos excolit pietás Deos,  
 Veto, esse tale lúminis commércium.  
 Ita hódie nec lucernam de flammá Deúm,  
 Nec de lucerna fás est accendí sacrum.  
 Quot res contineat hoc argumentum útiles,  
 Non explicabit álius, quam qui réperit.

## X.

7) *Tamen, sceleste, spiritu culpam lues.*

Recte Heinſius, *Scelesto spiritu.* Virg. Aen. XII.

*Immolat, et poenam scelerato ex sanguine fumit.*

10) *Per quem verendos excolit pietas deos.*

Quid hic sit *Excolere deos* nescire me fateor: neque *Verendos deos* qui dixerit, memini. Hoc saltem scire videor, *Verendos deos* a supremo Jove non ex decoro dici. Codex Pithaei pro *Verendos* habet *Colendos*. Repone,

*Per quem colendos censuit pietas deos.*

*Colendos censuit, hoc est, Coli debere existimavit.*

[*Excolere* pro *venerari* etiam Ovidius, Elegg. ex Ponto I, 7, 59. usurpavit, monente Burmanno. Ed.]

15) *Non explicabit alius, quam qui repperit.*

Recte Heinſius *Explicavit.*

[Sed ambitiosum est illud *explicavit*, quasi nemo, nisi Phaedrus, animadvertere hoc potuisset. Contra vulgatum jocosè dictum est, hac sententia: non permittam, ut alius explicet, sed ipse potius explicabo. Ed.]

Significat primo, saepe quos ipse alueris,  
Tibi inveniri maxime contrarios.

Secundo ostendit, scelera non ira Deum,  
Factorum dicto sed puniri tempore.

Novissime interdicit, ne cum malefica  
Usum bonus confociet ullius rei.

20

## FAB. XI.

## HERCULES ET PLUTUS.

Opes invisae merito sunt forti viro,  
Quia dives arca veram laudem intercipit.  
Coelo receptus propter virtutem Hercules,  
Quum gratulantes persalutasset Deos,  
Veniente Pluto, qui fortunae est filius,  
Avertit oculos. Causam ut quaesivit Pater:  
Odi, inquit, illum, quia malis amicus est,  
Simulque objecto cuncta corrumpit lucro.

## FAB. XII.

## LEO REGNANS.

Utilius nihil esse homini, quam recte loqui,  
Probanda cunctis est quidem sententia,  
Sed ad perniciem solet agi sinceritas.  
Quum se ferarum regem fecisset Leo,  
Et aequitatis vellet famam consequi,  
A pristina deflexit consuetudine,  
Atque inter illas tenui contentus cibo,  
Sancta incorrupta iura reddebat fide.  
Postquam labare coepit poenitentia.

\* \* \* \* \*

## XI.

- 6) *Avertit oculos. Causam quaesivit pater.*  
Inferre *Ut*, quod Librarii toties omiserunt; *Causam ut quaesivit pater*;  
*Odi, inquit, illum.*

## XII.

- 1) *Utilius homini nihil est, quam recte loqui.*  
Repone,  
*Utilius nihil esse homini, quam recte loqui.*

## FAB. XIII.

\* \* \* \* \*

Adfitione véretri linguam málieris,  
Adfinitatem tráxit inde obfcoénitas.

## FAB. XIV.

## A E S O P U S.

Rogávit alter, tríbadas et mollés mares  
Quae rátio procreáffet? expofuit fenex:  
Idém Prometheus, aúctor vulgi fictilis,  
Qui fimul offendit ad fortunam, frángitur,  
Náturæ partes, véfte quas velat pudor, 5  
Quum féparatim tóto finxiffét die,  
Aptáre mox ut poffet corporibús fuis,  
Ad coénam eft invitátus subito a Libero:  
Ubi inrigatus múlto venas néctare,  
Seró domum eft revérfus titubanti pede. 10  
Tum fémifomno córde, et errore ébrio,  
Adplicuit virginále generi máfculo,  
Et máfculina mémбра adplicuit féminis,  
Ita núnc libido právo fruitur gáudio.

## FAB. XV.

## CAPELLAE ET HIRCI.

Barbám Capellæ quum impetráffent ab Jove,  
Hirci moerentes indignari coéperant,  
Quod dignitatem féminæ aequáffent fuam.  
Sinite, inquit, illas glória vaná frui,  
Et úfurpare véftri ornatum múnaris, 5  
Parés dum non fint véftræ fortitúdini.  
Hoc árgumentum mónet, ut fufțineás, tibi  
Habitú éffe fimiles, qui fint virtute impares.

## XV.

6) Pares dum non sint vestrae fortitudinis.  
Recte Rittershusius, Fortitudini.



## FAB. XVI.

## GUBERNATOR ET NAUTAE.

Quum de fortunis quidam quereretur suis,  
 Aesopus finxit consolandi gratia,  
 Vexatae saevis navi tempestatibus,  
 Inter vectorum lacrymas et mortis metum,  
 Faciem ad serenam subito mutatum diem. 5  
 Ferri secundis tuta ut coepit flatibus,  
 Nimiisque nautae se hilaritate extollere,  
 Factus periculo tum gubernator sophus:  
 Parce gaudere oportet, et sensim queri,  
 Totam quia vitam miscet dolor et gaudium. 10

## FAB. XVII.

## CANUM LEGATI AD JOVEM.

Canes legatos olim misere ad Jovem,  
 Meliora vitae tempora oratum sibi;  
 Ut sese eriperet hominum contumeliis,  
 Furfuribus sibi conspersum quod panem darent,

## XVI.

- 2) *Aesopus finxit consolandi gratia.* Lege,  
*Aesopus finxit consolandi hoc gratia.*  
 [Malim equidem, *Aesopus finxit hoc solandi gratia, ne hoc lateat*  
*per versum.* Ed.]

- 3) *Vexata saevis navi tempestatibus.*  
 Codices *Navis*. Recte: modo si versu V. pro *Subito mutatur dies*  
 reponas *Subito* ut *mutatur dies*. Utramque emendationem prae-  
 ripuit Gudius.

- 7) *Nimiaque nautas hilaritate extollere.*  
 Pro *Nautas* recte Heinsius *Nautae se*.  
 [Faciliores nostrae videbantur correctiones, quas recepimus.  
 Ed.]

## XVII.

- 2) *Melioris vitae tempus oratum suae.*  
 Docte et ingeniose Heinsius,  
*Meliora vitae tempora oratum sibi.*
- 3) *Ut sese abriperet hominum contumeliis.*  
 Codices, *Ariperet*. Recte Gudius, *Ut sese eriperet*. Virgilius:  
*Eripe me his, invicte, malis.*

Eimóque turpi máximam expererént famem. 5  
 Profécti sunt legáti non celerí pede,  
 Dum náribus scrutántur escam in stércore.  
 Citáti non respóndent: vix tandem ínvenit  
 Eós Mercurius, ét turbatos ádtrahit.  
 Tum véro vultum mágni vt viderínt Jovis, 10  
 Totám timentes cóncacarunt régiam.  
 Propúlfi veró fústibus eyadúnt foras.  
 Vetát dimitti mágnus illos Júpiter:  
 Post áliquod tempus álios adscirí, jubet.  
 Miráti illi, legátos non revértier, 15  
 Turpe autumantes áliquid commissum, út suos  
 Rumór legatos súperiores pródidit,  
 Timéntes, rursus áliquid ne simile áccidat,  
 Odóre canibus ánum seduló replent,  
 Mandáta dantur, dímittuntur: hí statim 20  
 Adeúnt: rogantesque áditum, continuo ímpetrant.  
 Consédit genitor túm Deorum máximus,  
 Quassátque fulmen: trémere coepere ómnia:

12) Vulgo *vadunt*, et mox *jubet* et *Mirati sibi*. Ed.

14) *Post aliquod tempus alios adscribi jubent*.

Repone, quod et Codices habent, *Adsciri jubent*.

[Hunc versum praepono 15mo. Ed.]

16) *Turpe aestimantes aliquod commissum a suis*.

Repone:

*Turpe autumantes aliquod commissum a suis*.

[Vid. Bentley. supra, ad Fab. III, 4, 5. Ed.]

17) *Rumor legatos superiores prodidit*.

Repone, *Venter legatos sup. prod.*

Plautus Rudente II, 7.

*Quasi vinis Graecis Neptunus nobis suffudit mare:*

*Itaque alium prodi speravit nobis falsis poculis.*

19) *Odore canibus anum, sed multo, replent*.

Legendum forte,

*Odore canibus anum, sed spurco, replent*.

[Nos aliter, ut etiam in sequentibus, sententiae causa. Ed.]

20) *Mandata dant, legati mittuntur statim*.

Codices scripti haec tantum habent: *Mandant, dimittuntur statim*.

Repone,

*Mandant, dent operas, ut dimittantur statim*.

Canes confusi (subitus quod fuerat fragor)  
 Repente odorem mixtum cum merdis cacant. 25  
 Reclamant omnes, vindicandam injuriam:  
 Sic est locutus autem poenam Jupiter:  
 Non est legatos regis non dimittere,  
 Neque est difficile poenas culpa imponere,  
 Non veto dimitti, verum cruciari fame, 30  
 Ne ventrem continere non possint suum,  
 Sic vos feretis pro judicio praemium:  
 Illi autem, qui miserunt vos tam futiles,  
 Nunquam carebunt hominis contumelia.  
 Ita nunc legatos expectantes posterum 35  
 Novum venire qui videt, culum olfacit.

24) *Canes, confusus subito quod fuerat fragor.*

Lege,

*Canes confusi (subitus terruerat fragor.)*

26) *Reclamant omnes.* Lege,

*Ut clamant.*

27) *Autem.* Vulgo *ante*: infulse. Loco suo mota est, propter metrum, conjunctio, ut I. Prol. 5. *Ed.*

30) *Non veto dimitti.* Repone, *Non volo dimitti.*

32) *Sed hoc feretis pro judicio praemium.*

Recte Meursius: *Sed hoc ferent hi.* — *Pro judicio est loco judicii, cujus formam se non observaturum dicit.* *Heuf.*

33) *Illi autem, qui miserunt vos tam futiles.*

Lege, *Hos tam futiles.*

34) *Nunquam carebunt hominis contumelia.*

Repono, ut supra, v. 3.

*Nunquam carebunt hominum contumeliis.*

ut verba respondentis Jovis rite congruant cum verbis legatorum canum. *Ed.*

35) *Ita nunc legatos expectant et posterum;*

*Novumque venire qui videt, culum olfacit.*

Haec a Correctoribus venerunt, metro indignante. *Codd. ita habent:*

*Ita nunc legatos expectantes posteros,*

*Novum venire cum videt, culum olfacit.*

Reponas, nescio an vere, melius certe, quam nunquam habetur:

*Ita nunc legatos quisque expectans posterum,*

*Novum venire cum videt, culum olfacit.*

*Sed forte versus hinc excidit; ut alii plures in hac Fabula.*

## FAB. XVIII.

## HOMO ET COLUBRA.

Malis qui fert auxilium, post tempus dolet.  
 Gelu rigentem quidam Colubram sustulit  
 Sinuque fovit; contra se ipse misericors:  
 Namque ut refecta est, necuit hominem protinus.  
 [Hanc alia quum rogaret causam facinoris,  
 Respondit: Ne quis discat prodesse improbis.]

## FAB. XIX.

## VULPIS ET DRACO.

Vulpis, cubile fodiens, dum terram eruit,  
 Agitque plures altius cuniculos,  
 Pervenit ad Draconis speluncam ultimam,  
 Custodiebat qui thesauros abditos.  
 Hunc simul adspexit: 'Oro, ut imprudentiae  
 Des primum veniam; deinde, si pulcre vides,  
 Quam non conveniens aurum fit vitae meae,  
 Respondeas clementer. Quem fructum capis

## XVIII.

- 1) Vulgo: *Qui fert malis a.* Sed sic *malis*, vox gravissima, in thesi latet. *Ed.*  
 5. 6) Malae notae versiculi, nam et frigide repetitur initialis fabulae sententia, et frigide quaerit altera colubra, quod per similem suam naturam scire poterat; deinde *Hanc* dubium ad *causam an colubram* referendum sit, et luce dictum istud: Ne quis *discat* prodesse improbis. *Ed.*

## XIX.

- 3) *Pervenit ad draconis speluncam ultimam.*  
 Heinsius mallet *Ultimò*, ut *Postremo*. Ego sic repono:  
*Pervenit ad draconis speluncam intimam.*  
 Noster IV. Prol.  
*Quid interiore condat natura angulo.*  
 Horat. Carm. I. 9.  
*Nunc et latentis proditor intimo*  
*Gratus puellae risus ab angulo.*  
 Sic *Intimus finis*, *Intimus recessus* etc.  
 [Sed non id agitur, ad *intimam* speluncam draconis pervenisse vulpem, sed, *postremo* ad eam pervenisse; itaque recte habet vulgata. *Ed.*]

Hoc ex labore, quodve tantum est praemium,  
 Ut careas somno, et aevum in tenebris exigas? 10  
 Nullum, inquit ille, verum hoc a summo mihi  
 Jove adtributum est. — Ergo nec sumis tibi,  
 Nec ulli donas quidquam? — Sic fati placet. —  
 Nolo irascaris, libere si dixeris:  
 Dis est iratis natus, qui est similis tibi. 15

Abiturus illuc, quo priores abierunt,  
 Quid mente caeca miserum torques spiritum?  
 Tibi dico, avare, gaudium heredis tui,  
 Qui thure superos, ipsum te fraudas cibo,  
 Qui tristis audis musicum citharae sonum, 20  
 Quem tibi arum macerat jucunditas,  
 Opsioniorum pretia cui gemitum exprimunt;  
 Qui dum quadrantes aggeras patrimonio,  
 Coelum fatigas sordido perjurio;  
 Qui circumcidis omnem impensam funeris, 25  
 Libitina ne quod de tuo faciat lucrum.

## F A B. X X.

## P H A E D R U S.

Quo judicare cogitet livor modo,

- 9) *Hoc ex labore, quodve tantum est praemium.*  
 Repone,

*Quem fructum capis*

*Hoc ex labore quodve tantum praemium?*

*Quem fructum quodve praemium capis?*

Ita *Fructum et praemium* conjungit Cicero etc.

[Sed variatur illo est oratio. Ed.]

- 26) *Libitina ne quid de tuo faciat lucrum.*

Jamdiu a doctis observatum, vel *Ne quod lucrum* legendum esse,  
 vel *Ne quid lucri*.

## X X.

- 1) *Quid judicare cogitet livor modo.*

Recte olim reposuere *Cogitet*; cum MSS. habeant *Cogitur*. Restat  
 aliud corrigendum. Lege,

*Quid praedicare cogitet livor modo.*

*Modo.* Statim, simul ac fabulas edidero. *Burm. Heuf.*

[Sed cur statim? Vide, an probabiliora sint, quae nos dedimus;  
 nam etiam *judicare* non offendit. Ed.]

Licet dissimulet, pulcre tamen intelligo:  
 Quicquid putabit esse dignum memoriae,  
 Aesopi dicet: si quid minus adriserit,  
 A me contendet fictum quovis pignore.  
 Quem volo refelli jam nunc responsio meo:  
 Sive hoc ineptum, sive laudandum est opus,  
 Invenit ille, nostra perfecit manus.  
 Sed exsequamur coeptum propositi ordinem.

## FAB. XXI.

## NAUFRAGIUM SIMONIDIS.

Homo doctus in se semper divitiis habet.  
 Simonides, qui scripsit egregium melos,  
 Quo paupertatem sustineret facilius,  
 Circumire coepit urbes Asiae nobiles,  
 Mercede accepta laudem victorum canens.  
 Hoc genere quaestus postquam locuples factus est,  
 Redire in patriam voluit cursu pelagio:  
 (Erat autem, ut ajunt, natus in Cea insula)  
 Adscendit navem, quam tempestas horrida  
 Simul et vetustas medio ut dissolvit mari,  
 Hi zonas, illi res pretiosas colligunt,  
 Subsidium vitae; quidam curiosior:  
 Simonide, tu ex opibus nil sumis tuis?  
 Mecum, inquit, mea sunt cuncta. Tunc pauci enatant:  
 Quia plures onere degravati perierant;

## XXI.

- 2) Simonides, Ceus, poeta, et inventor artis memorandae, qui floruit circa annum ante Christ. 500. *Ed.*
- 8) *Erat autem natus, ut ajunt, in Ceo insula.*  
 Repone,  
*Erat autem, ut ajunt, natus in Cea insula.*  
*Cea jam olim emendatum.*
- 10) *Simul et vetustas medio dissolvit mari.*  
 Repone quod toties omiserunt,  
*Simul et vetustas medio ut dissolvit mari.*
- 15) *Quia plures onere degravati perierunt.*  
*Perierunt ab Heinsio est. Recte codices Perierant; Ideo Pauci enatant, quia plures jam Perierant.*

Praedones adsunt, rapiunt, quod quisque extulit;  
 Nudos relinquunt. Forte Clazomenae prope  
 Antiqua fuit urbs, quam petierunt naufragi.  
 Hic litterarum quidam studio deditus,  
 Simonidis qui saepe versus legerat, 20  
 Eratque absentis admirator maximus,  
 Sermone ab ipso cognitum cupidissime  
 Ad se recepit, veste, nummis, familia  
 Hominem exornavit. Ceteri tabulam suam  
 Portant, rogantes victum; quos casu obvios 25  
 Simonides ut vidit: Dixi, inquit, mea,  
 Mecum esse cuncta; vos quod habuistis, perit.

## FAB. XXII.

## MONS PARTURIENS.

Mons parturibat, gemitus immanes ciens,  
 Eratque in terris maxima expectatio:  
 At ille murem peperit. Hoc scriptum est tibi,  
 Qui, magna quam minaris, extricas nihil.

## FAB. XXIII.

## FORMICA ET MUSCA.

Formica et Musca contendebant acriter,  
 Quae pluris effet. Musca sic coepit prior:  
 Conferre nostris tu potes te laudibus?  
 Ubi immolatur, extra praegusto Deum,

[Mihi quidem hic versiculus de glossa suspectus est. Primum enim *Quia* positum insolite pro *Quoniam*; deinde tota sententia languet, imo falsa est, quia etiam alias ob causas perire illi poterant, quam gravitate sarcinarum. Quare, deleto hoc versu, rescribo:

*Mecum, inquit, mea sunt cuncta: Pauci ut enatant:*

*Praedones adsunt, etc. Ed.]*

25) *Portant rogantes victum. Quos casu obvios.*  
 Recte Salmasius *Obvios*.

27) *Mecum esse cuncta: vos quod rapuistis, perit.*  
 Cur quaeso *Rapuistis*? an res suas in subsidium vitae colligere est *Rapere*? Repone,

*Mecum esse cuncta: vos quod habuistis, perit.*

Moror ínter aras, témpła perlustro ómnia; 5  
 In cápíte regis sédeo, cum vísum ést mihi,  
 Et mátronarum cásta delibo óscula;  
 Labóro nihil, atque óptimís rebús fruor.  
 Quid hórúm símile tibi contingit, rústica? —  
 Ést glóriosus sáne convictús Deúm, 10  
 Sed illi, qui invitátus, non, qui invísus est.  
 Arás frequentas? Némpe abigeris, quúm venis.  
 Super étiam jactas, tégere quod jubét pudor,  
 Regés commemorans ét matronarum óscula?  
 Nihil laboras? ídeo, quum opus est, níl habes. 15  
 Ego gránum in hiemem cúm studiose cóngero,  
 Te circa murum vídeo pasci stércore.  
 Aestáte me lacéssis; quum bruma ést, files.

## XXIII.

9) *Quid horum simile tibi contingit, Rustica?*

Repone:

*Quid horum simile tibi? Contra inquit Rustica:*

Ita Noster saepius: I, 1. *Laniger contra timens*. V, 10. *Cui senex contra Lacon*. *Inquit*, incipit; Virgilius passim.

[Saepissime inquit, ait, familiaeque omittuntur Nostro. Vid. 3, 7. 15. 1, 15. etc. Ed.]

11) *Sed illi, qui invitatur, non qui invisus est.*

Dedit auctor, *Invitatus et invisus*. Bis accipitur *Est*.

13) *Superba jactas, tegere quod debet pudor.*

*Superba* a Pithoeo est. Codices habent,

*Super etiam jactas, t. q. d. p.*

Recte. *Super* est *Insuper*. *Super etiam*, ut Terent. Eun. V, 7. *Ni miserum insuper etiam patri indicares*. Adel. II, 2. *Ettiam insuper defraudat?* Pro *Debet lege, Jubet pudor*. Ceterum hic versus in Edd. vett. decimus tertius venit; non, ut hodie, XVII.

[Plures hic trajecti versus, qui vulgo sic sequuntur: *Sed illi, Reges commemoras* (nobis commemorans requiri videtur), *Ego granum, Te circa, Aras, Nihil, Super, Aestate*. Continuitatem orationis restituere nos studuimus, *insuper etiam* versus *Aras* stridentes *quum venis*, pro vulgato *quo venis*, quoniam, aris nominatis, incertum non est, quo musca veniat. Ed.]

17) *Te circa murum video pasci stercore.*

Repone,

*Te circum rura video pasci stercore.*

[Cum frumenta, inquit Burm. Ep. Crit. ex agris in horrea condantur, formicae ad ista accedentes, ut grana copiosius congerant, ibi circa muros muscas stercore pascentes vident.]



Morí contractam quúm te cogunt frígora,  
 Me cópíosa récipit incolumém domus. 20  
 Satis profecto rétudi supérbiam.  
 Fabélla talis hóminum discernít notas  
 Eórum, qui se fálsis ornant laúdibus,  
 Et quórum virtus éxhibet solidúm decus.

## FAB. XXIV.

## SIMONIDES A DIIS SERVATUS.

Quantúm valerent ínter homines líterae,  
 Dixí superius: Quántus nuñc illís honos  
 A súperis sit tribútus, tradam mémoriae.  
 Simónides, idem ílle, de quo rétuli,  
 Victóris laudem cuídám pyctae ut scríberet, 5  
 Certó conductus prétio, secretúm petit.  
 Exígua quum frenáret materia ímpetum,  
 Usús poëta móris est licéntia,  
 Atque ínterposuit gémina Ledaë sídera,  
 Auctóritatem símilis referens glóriæ. 10

## XXIV.

- 6) *Certo condixit pretio: secretum petit.*  
 Codices scripti *Conduxit.* Lege et distingue:  
*Certo conductus pretio, secretum petit.*  
 Ut *Conductus mercede.* Horat. Serm. II, 7. *Mercede diurna Con-*  
*ductum pavit.* Corn. Nepos Praef. *Nulla vidua, quae non ad coenam*  
*eat, mercede conducta.* Simonidis venale ingenium a pluribus  
 olim notatum.
- 8) *Ufus poëtae, ut moris est, licentia.*  
 Repone, *Ufus poëta moris est licentia.* Ordo est, *Ufus est poëta*  
*licentiá moris; hoc est, licentia more concessa.*
- 9) *Ledaë sidera.* Inter sidera relati Ledaë filii, Castor et Pollux.
- 10) *Auctoritatem símilis referens glóriæ.*  
 Quocumque te vertas, nihil hinc extricabis. Repono:  
*Auctoritatis illa referens gratia.*  
*Gratia et Gloria passim a Librariis confunduntur, dum sectantur*  
*compendia. Noster lib. V. Prol. 2.*  
*Aesopi nomen sicubi interposuero,*  
*Auctoritatis esse scito gratia.*  
 Et nota hic *Interposuit, illic Interposuero.*  
 [Mirum est, sententiam loci a Bentlejo non fuisse intellectam.  
 Ed.]

Opus adprobavit: sed mercedis tertiam  
 Accipit partem; quum reliquum posceret:  
 Illi, inquit, reddant, quorum sunt partes duae:  
 Verum, ut ne irate te dimissum censeas,  
 Ad coenam mihi promitte; cognatos volo 15  
 Hodie invitare, quorum es in numero mihi.  
 Fraudatus quamvis, et dolens injuria,  
 Ne male demessam gratiam corrumpere,  
 Promisit. Rediit hora dicta, recubuit.  
 Splendebat hilare poculis convivium, 20  
 Magno apparatu laeta resonabat domus:  
 Duo cum repente juvenes, sparsi pulvere,  
 Sudore multo diffluentes, corpora  
 Humanam supra formam, cuidam servulo  
 Mandant, ut ad se provocet Simoniden: 25  
 Illius interesse, ne faciat moram.  
 Homo perturbatus excitat Simoniden.  
 Unum is promorat vix pedem trichinio, et  
 Ruina camerae subito oppressit ceteros:  
 Nec ulli juvenes sunt reperti ad januam. 30  
 Ut est vulgatus ordo narratae rei,  
 Omnes scierunt, numinum praesentiam  
 Vati dedisse vitam, mercedis loco.

## FAB. XXV.

## P O E T A.

Supersunt mihi quae scribam, sed parco sciens:

13) *Illi, inquit, reddent, quorum sunt partes duae.*

Repone, *Reddant.* Reddant illi, si volunt, non ego.

14) *Verum ut ne irate dimissum te sentiam.*

Repone,

*Verum ut ne irate te dimissum censeas.*

Ne putes, me iratum te dimittere, ad coenam te invito etc.

Cod. Perott. *Verum ut sine irate dimissum te sentiant* pro *Verum ut sine ira te dimissum sentiant*, Castor et Pollux. *Heuf.*

18) Vulgo *dimissam*, obscure. *Demessam* scripsi, i. e. imminutam, et quasi curtatam, mercedem (nam haec gratia est), quam corrumpere (i. e. magis etiam imminuere) timebat Simonides, habendi et fruendi satis cupidus poeta. *Ed.*

23) Vulgo absunt *is* et particula *et*, non recte. *Ed.*

Primum, esse videar né tibi moléstior,  
 Distringit quem multárum rerum várietas:  
 Dein sí quis eadem fórte conari velit,  
 Habére ut possit áliquíd operis réfidui: 5  
 Quamvis materiae tánta abundet cópia,  
 Labóri faber ut défit, non fabró labor.  
 Brevitátis nostrae praémium ut reddás, peto,  
 Quod és pollicitus. Exhibe vocís fidem:  
 Nam víta morti própior est quotidie: 10  
 Et mínus hoc usu véniet ad me múneris,  
 Quo plús consumet témporis dilátio.  
 Si cito rem perages, úsus fiet lóngior:  
 Fruár diutius, sí celerius coépero.  
 Languéntis aevi dúm sunt aliquae réliquiae, 15  
 Auxílio locus est: ólim senio débilem  
 Frustra ádjuvare bónitas nitetúr tua,  
 Quum jám defierit esse beneficium útile,  
 Et mórs vicina flágitarit débitum.  
 Stultum ádmovere tibi preces est, Eútyche; 20

## XXV.

- 2) *Primum esse ne tibi videar molestior.*  
 Codices habent, deficiente syllaba:  
*Primum esse tibi ne videar molestior.*  
 Repone,  
*Primum esse videar ne tibi molestior.*  
*Tibi* posteriore longa. *Tibi, quem varietas dstringit.* Accentus  
 hic dignitatem pronomini addit.
- 8) *Brevitatis nostrae.* Modeste sic appellat opus suum Phaedrus,  
 quod poposcisse, adeoque praemium scriptori promississe, videtur  
 Eutyclus. *Ed.*
- 1) Vulgo: *Et hoc minus usu v. ad me m.* Sed *minus*, verbum gra-  
 vissimum, necesse est sub ictu poni. *Ed.*
- 9) *Et mors vicina flagitabit debitum.*  
 Repone *Flagitarit*; nam versu praecedente *Defierit*.
- o) *Stultum admovere tibi preces existima:*  
*Proclivis ultro cum sit misericordia.*  
*Existima* a Pithoeo est. Mallem cum Celeberrimo Burmanno  
*Existimo.* Sed Codicum unus *Precesexes*, alter *Percepseris*. Unde  
 Gudius coniecit,  
*Stultum admovere tibi preces sexcenties.*

Proclivis ultro quúm sis misericórdiae.  
 Saepe ímpetravit véniam confessús reus,  
 Quanto ínnocenti jústius debét dari?  
 Tuae sunt partes: (fúerant aliorúm prius,  
 Similique gyro vénient aliorúm vices;) 25  
 Decérne, quod relígio, quod patitúr fides,  
 Et grátulari mé fac judició tuo.  
 Excédit animus, quém proposuit términum,  
 Sed díffíciliter cóntinetur spíritus,  
 Intégritatis qui sincereae cónsciús, 30  
 A nóxiorum prémitur insoléntiis,  
 Qui sint, requiris? apparebunt témpore.  
 Ego quóndam legi quám puer senténtiam:  
 Palám mutire plébejo piáculum est:  
 Dum sánitas constábit, pulcre méminero. 35

## EXPLICIT LIB. IV.

Quod ideo minus placet, quia sic loqui, esset hominis indignantis, quod toties supplicasset. Repone,

*Stultum admovere tibi preces est, Eutyche,  
 Proclivis ultro cum sis misericordiae.*

Is *Eutyche* est, cui et tertium librum dedicavit. Sane tot preces hic admovere, cum neminem nominaverit, stultissimum esset. Excidit vocabulum ex fine versus, ut lib. V. Prol. 3, et 4.

24) *Tuae prius sunt partes, aliorum dein,  
 Similique gyro venient aliorum vices.*  
*Dein* hic Jambum facit; cum ubique sit monosyllabon. Codices sic habent:

*Tuae sunt partes, fuerant aliorum:  
 Dein simili gyro venient aliorum prius vices.*

Ubi *Prius* ex priore versu in posteriorem decedit. Repone:

*Tuae sunt partes: fuerant illorum prius:  
 Dein simili gyro venient aliorum vices.*

[*Illorum* vim hic non habet. Ed.]

26) *Decerne, quod religio, quod patitur fides.  
 Malim, Quod poscit fides. Patit', poscit.*

32) *Qui sint, requires; apparebunt tempore.*  
 Repone: *Qui sint, requiris? Interrogas me, qui sint?*

34) Versus Ennii in Telepho, a Festo laudatus, voce *Mutire*. Ed.

I N C I P I T  
L I B E R Q U I N T U S,

P R O L O G U S,

Cum dēstināssēm tēminum operi státuere,  
In hóc, ut aliis éssēt materiaé satis,  
Consilium tacito córde damnavi statim:  
Nam si qui talis étiam tituli est aémulus;  
Quo pácto divinábit, quidnam omíserim,  
Ut illud ipsum cúpiat famae trádere?  
Sua cuíque quum sit ánimi consciéntia,

P R O L.

- 1) *Cum destinasssem operis habere terminum.*  
Codices habent:  
*Cum destinasssem terminum operis habere.*  
Unde recte, et sententia et metro meliore:  
*Cum destinasssem terminum operi statuere.*
- 3) *Consilium tacito corde damnavi meum.*  
Deest versui in Codicibus pes sextus. Suppleverunt *Meum. Recto,*  
opinor,  
*Consilium tacito corde damnavi statim.*
- 4) *Nam si quis talis etiam est tituli artifex.*  
Excidit in Codicibus a fine dactylus: Rigaltius addidit *Artifex:*  
satis inepte. Longe melius Freinshemius, *tituli est appetens.*  
Credo, me in rem ipsam incidisse:  
*Nam si qui talis etiam tituli est aemulus:*  
Servius ad Aen. V, 187. *Aemula: ejusdem rei studiosa; ut Ci-*  
*cero: Illo aemulo atque imitatore studiorum meorum. Exempla*  
ubique obvia sunt.
- 7) *Sui cuique cum sit animi cogitatio*  
*Colorque proprius.*  
Mendosissima haec sunt. Quid est enim *Animi Cogitatio?* quid  
*Animi color?* quidve *Cuique color proprius?* Apage istas labeas ab  
opere elegantissimo. Repono:  
*Sua cuique cum sit animi conscientia,*  
*Dolorque proprius.*  
Rationem reddit, cur alius quivis, qui post eum fabulas scribere  
velit, non in easdem incidet, quas ipse in animo habebat. Quia  
auctor sua *animi conscientia,* proprio dolore motus, ad fabulas  
scribendas accessit. Sic III, Prol. Aesopus  
*Affectus proprios in fabellas transtulit.*  
Phaedrus quoque de se idem profitetur,  
*In calamitatem delicens quaedam meam.*  
et mox,  
*Nec his dolorem delenirem remediis.*

- Dolórque proprius. 'Ergo non levitás mihi,  
Sed cérta ratio caússam scribendí dedit.  
Quaré, Particulo, quóniam caperis fábulis, 10  
(Quas Aésopeas, nón Aesopi nómino,  
Quia paúcas ille osténdit, ego plurés fero,  
Usús vetusto génere, sed rebús novis)  
Quintúm libellum, cúm vacarit, pérleges.  
Huic óbtrectare sí volet malignitas, 15  
Imitári dum non póssit, obtrectét licet;  
Mihi pártá laus est, quód tu, quod similés tui  
Vestrás in chartas vérba transfertís mea,  
Dignúmque longa júdicatis mémoria.  
Inlitératum plaúsum non desídero. 20

I D E M P O E T A.

Aesópi nomen sícubi interpósuero,  
Cui réddidi jam prídem, quidquid débui,  
Auctóritatis ésse scito grátia:  
Ut quídam artifices nóstro faciunt saéculo,

Cum igitur sua cuique mens sit, suus cuique dolor, sua calamitatis  
fors: duo homines numquam easdem fabulas scribendas sibi deligent.

*Animi conscientiam praeter alios multos Noster habet III. Prol.*

*Stulte nudabit animi conscientiam.*

12) *Quasi paucas ostenderit, ego plures differo.*

Qualis hic oratio est, tales sunt numeri: nihil pote inficetius. Co-  
dex unus, *Quasi paucas tale ostendit; alter, Ille ostendit.* Repone:

*Quia paucas ille ostendit, ego plures fero.*

14) *Quartum libellum dum vacive perleges.*

*Vacive* a Pithoeo est, adverbium inauditum. Codices habent,  
*Dum varie perleges.* Repone,

*Quintum libellum, cum vacarit, perleges.*

Sine dubio hunc *Quintum*; quem Particuloni nunc mittit. Prologi,  
licet initio veniant, ultimi scribebantur.

P O E T A.

4) *Ut quidam artifices nostro faciunt seculo;*

*Qui pretium operibus majus inveniunt, novo*

*Si marmori adscripserunt Praxitelen suo,*

*Trito Myronem argento. Fabulae exaudiant*

*Adeo fugatae. Plus vetustis nam favet*

*Invidia mordax, quam bonis praesentibus.*

Locus deploratus, in quo emaculando nemo eruditorum ne sibi  
quidem fatiscit. Ego, dum sententiam auctoris, neglectis lite-  
rarum ductibus, cogitatione verso; in ipsam veram, casu nescio an

Qui pretium operibus majus inveniunt novis, 5  
 Si marmori adscripsere Praxitelén, Scopan  
 Aeri, Myronem argénto, tabulae Zeúxidem.  
 Adeo fucatae plus vetustati favet  
 Invidia mordax, quam bonis praesentibus.  
 Sed jam ad fabellam talis exempli feror. 10

## FABULA I.

## DEMETRIUS REX ET MENANDER POETA.

Demétrius, qui dictus est Phaléreus,  
 Athénas cum occupávit imperio improbo,  
 Ut mos est, vulgus pássim et certatim ruit;  
 FELICITER subclámat: ipsi príncipes  
 Illam ósculantur, quá sunt oppressi, manum, 5  
 Tacité gementes tristem fortunaé vicem.  
 Quin étiam refides ét sequentes ótium,  
 Ne defuisse nóceat, reptant últimi;  
 In quis Menander nóbilis comoédiis,

lagacitate, incidi: qua reperta, verba sponte se offerebant. Repono:

*Qui pretium operibus majus inveniunt novis,  
 Si marmori adscripsere Praxitelen, Scopan  
 Aeri, Myronem argento, tabulae Zeuxidem.  
 Adeo fucatae plus vetustati favet  
 Invidia mordax, quam bonis praesentibus.*

Ubi vides, ex *Suo* factum *Scopan*; ex *Detrito* (sic enim Codices, non *Trito*) *Aeri*; ex *Fabulae* exaudiant, *Tabulae Zeuxidem*; ex *Fugatae vetustis* nam, *Fucatae vetustati*. Scilicet cum novis operibus vetusta nomina adscribendo *fucus* emtori factus est. De *Scopa* et reliquis, qui in dictis materiis excelluerunt, habes omnia apud Junium de *Pictura veterum*. Ceterum et facilis et egregia jam sententia est: cumque emendationes tam longa serie altera succedant alteri, non possunt in lingua emortua non esse verae.

## I.

- 2) *Athenas occupavit imperio improbo.* Repone,  
*Athenas cum occupavit imperio improbo.*
- 3) *Ut mos est vulgi, passim et certatim ruunt,*  
 FELICITER subclamant. Repone:  
*Ut mos est, vulgus passim et certatim ruit;  
 Feliciter subclamat: ipsi principes etc.*  
 Codices habent *Ruit*. *Vulgus* et *Principes* hic opponuntur.
- 8) *Ne defuisse noceat, repunt ultimi.*  
 Codices *Repetunt*. Recte Rittershusius, *Reptant ultimi*.

Quas, ípsum ignorans légerat Demétrius, 10  
 Et ádmiratus fúerat ingeniúm viri,  
 Unguénto delibútus, vestitu ádfluens,  
 Veniébat gressu delicato et lánguido.  
 Hunc úbi tyrannus vídit extremo ágmine;  
 Quisnám cinaedus ílle in conspectú meo 15  
 Audét venire? Réspónderunt próximi:  
 Hic ést Menander scríptor. Mutatúr statim.

\* \* \*

## FAB. II.

## VIATORES ET LATRO.

\* \* \* \*

Et vándicavit sése forti délixera.  
 Latróne occiso tímídu adcurrít comes,  
 Stringítque gládium; deín, rejecta pénula:  
 Cedo, ínquit, illum; jám curabo, séntiat,  
 Quos ádtentarit. Túnc qui depugnáverat: 5  
 Vellem ístis verbis sáltem adjuvissés modo,  
 Constántior fuíssem, vera exístimans:  
 Nunc cónde ferrum, et línguam pariter fútilem.  
 Ut póssis alios ígnorantes fállere,  
 Ego, quí sum expertus, quántis fugias víribus, 10  
 Scio, quám virtuti nóñ sit credendúm tuae,  
 Illi ádsígnari débet haec narrátio,  
 Qui ré secunda fórtis est, dubiá fugax.

15) *In conspectu meo.* Reponendum censeo,  
*In conspectum meum:* velut infra VII, 22.

*Quidam adfirmant mortuum,*

*Quidam in conspectum proditurum sine mora. Ed.*

16) *Responderunt proximi:*

*Hic est Menander scriptor. Mutatus statim.*

Haec cur ἀσυνδέτως efferantur, nullus video, Reponendum et distinguendum putem:

*Respondere ut proximi,*

*Hic est Menander scriptor: mutatur statim. Ed.*

II.

3) *Rejecta penula.* In tergum rejecta, non in terram dejecta, Heuf.

11) *Scio, quod virtuti non sit credendum tuae.*

Recte Gronovius: *Scio quam virtuti.* (et sic cod. Perott. Heuf.)



## FAB. III.

## CALVUS ET MUSCA.

Calví momordit Múscá nudatúm caput;  
 Quam opprimere captans, álapam sibi duxít gravem.  
 Tunc ílla inridens: Púñctum volucris párvulae  
 Voluísti morte ulcísce: quid faciés tibi,  
 Injúriae qui addideris contuméliam? 5  
 Respóndit: Mecum fácile redeo in grátiam,  
 Cui nón fuisse méntem laedendí scio:  
 Sed té, contemti géneris animal ímprobum,  
 Quae délectaris bíbere humanum sánguinem,  
 Optém necare vél majore incómodo. 10  
 Hoc árgumentum véniam ei darí docet,  
 Qui casu peccat; quúm quis consilio ést nocens,  
 Illum ésse quavis poéna dignum júdico.

## FAB. IV.

## HOMO ET ASINUS.

Quidam ímmolasset vérrem quum sancto Hérculi,  
 Cui pró salute vótum debebát sua,  
 Afélló jussit réliquias poni hórdei.  
 Quas áspérnatus ille, sic locútus est:  
 Libéñter ístum prórsus adpeterém cibum, 5  
 Nisi qui nutritus íllo est, jugulatús foret,  
 Hujús respectu fábulae detérritus,

## III.

7) *Quia non fuisse mentem laedendi scio.*

Repone,

*Cui non fuisse mentem laedendi scio.*

11) *Hoc argumentum veniam magis dari docet*

*Qui casu peccat, quam qui consilio est nocens.*

Codices non habent *Magis*. Repone,

*Hoc argumentum veniam dandam illi docet,*

*Qui casu peccat: nam qui consilio est nocens, etc.*

[Verisimiliores, ni fallor, nostrae correctiones. *Ed.*]

## IV.

5) *Tuum libenter prorsus adpeterem cibum.*

MS. *Libenter tuum*. Repone,

*Libenter istum prorsus adpeterem cibum.*

Periculosum semper reputavi lucrum.  
 Sed dices: Qui rapuere divitiás, habent,  
 Numeremus, agedum, qui deprensi perierint; 10  
 Majorem turbam punitorum reperies.  
 Paucis temeritas est bono, multis malo.

## FAB. V.

## SCURRA ET RUSTICUS.

Pravó favore lábi mortales solent,  
 Et pró judicio dùm stant erroris sui,  
 Ad poénitendum rébus manifestís agi.  
 Facturus ludos quídam dives nobiles,  
 Propósito cunctos invitavit praémio, 5  
 Quam quisque posset út novitatem ostenderet.  
 Venere artifices laudis ad certamina,  
 Quos ínter Scurra notus urbanó sale,  
 Habere dixit se genus spectáculi,  
 Quod in theatro nunquam prolatum foret. 10  
 Dispensus rumor civitatem concitat;  
 Paulo ante vacua turbam deficiunt loca.  
 In scena vero postquam solus constitit,  
 Sine apparatu, nullis adiutoribus,  
 Silentium ipsa fecit expectatio, 15  
 Ille in sinum repente demisit caput,  
 Et sic porcelli vocem est imitatus sua,  
 Verum ut subesse pallio contenderent,  
 Et excuti jubèrent. Quo factó, simul

8) *Periculosum semper vitavi lucrum.*

Rectius Codex Pithoei:

*Periculosum semper reputavi lucrum,*

Reputavi, lucrum esse rem periculosam.

9) *Sed dices, qui rapuere divitias, habent. Repone,*

*Sed dices, Qui latuere, divitias habent.*

Vides, *Qui latuere* opponi eis, qui *deprensi* sunt.

[Sed non omnes, qui *latent*, ideo sunt *divites*; (quae tamen  
 versus, uti a Bentlejo refingitur, sententia est;) quare vulgatam  
 lectionem retineo. Ed.]

## V.

18) *Verum ut subesse pallio contenderent.*

Heinsius *Verrem*. Non placet.

Nihil est repertum; multis onerant laudibus, 20  
 Hominemque plausu prosequuntur maximo.  
 Hoc videt ut fieri Rusticus; non mehercule  
 Me vincet, inquit: et statim professus est,  
 Idem facturum melius se postridie.  
 Fit turba major: jam favor mentes tenet, 25  
 Et derisuri, non spectaturi, sedent.  
 Uterque prodit: Scurra digrunit prior,  
 Movetque plausus et clamores suscitatur.  
 Tunc simulans sese vestimentis Rusticus  
 Porcellum obtegere, quod faciebat scilicet, 30  
 Pervellit aurem vero, quem celaverat,  
 Et cum dolore vocem naturae exprimit.  
 Sed in priore quia nil compererant latens,  
 Adclamat populus: Scurram multo similis  
 Imitatum, et cogit Rusticum trudi foras. 35  
 At ille profert ipsum porcellum e sinu  
 Turpemque aperto pignore errorem exprobrans:  
 En hic declarat, quales sitis iudices.

## P O E T A.

Adhuc supersunt multa, quae possim loqui,  
 Et copiosa abundat rerum varietas: 40  
 Sed temperatae suave sunt argutiae,  
 Immodicae offendunt. Quare, vir sanctissime  
 Particulo, chartis nomen victurum meis,  
 Latinis dum manebit pretium literis,  
 Si non ingenium, certe brevitatem approba, 45  
 Quae commendari tanto debet iustius,  
 Quanto poetae sunt molesti validius,

22) *Hoc vidit fieri Rusticus: Non mehercule.*

Recte jam Heinsius: *Hoc videt ut fieri.*

30) *Scilicet*, Re vera, non, ut illi credebant, per lusum et jocum. *Heusf.*

31) *Pervellit aurem vero quem celaverat.*

Rursus Heinsius *Verri*. Non assentior.

33) Vulgo hic versus 31mus numeratur, non sine sententiae incommodo. *Ed.*

41) *Sed temperatae suaves sunt argutiae.* Repono,  
*Sed temperatae suave sunt argutiae.*

## FAB. VI.

## CALVUS ET QUIDAM PILIS DEFECTUS.

Invenit Calvus forte in trivio pectinem.  
 Accedens alter, aequae defectus pilis:  
 Eia, inquit, est commune, quodcumque est lucrum.  
 Ostendit ille praedam, et adiecit simul:  
 Superum voluntas favit, sed fato invidio; 5  
 Carbonem, ut ajunt, pro thesauro invenimus.  
 Quem spes delusit, huic querela haec convenit.

## FAB. VII.

## PRINCEPS TIBICEN.

Ubi vanus animus, aura captus frivola,  
 Abrupit insolentem sibi fiduciam,  
 Facile ad derisum stulta levitas ducitur.  
 Princeps Tibicen notior paullo fuit,  
 Operam Bathyllo solitus in scena dare. 5  
 Is forte ludis, non satis meminisse quibus,  
 Dum pigma rapitur, concidit casu gravi  
 Necopinus, et sinistram fregit tibiam,  
 Duas quum dexteras maluisset perdere.  
 Inter manus sublatus, et multum gementis, 10  
 Domum refertur. Aliquot menses transeunt,  
 Ad sanitatem dum venit curatio.  
 Ut spectatorum mos est, et lepidum genus,  
 Desiderari coepit, cujus flatibus  
 Solebat excitari saltantis vigor. 15  
 Erat facturus ludos quidam nobiles,

## VI.

2) *Accessit alter aequae defectus pilis.* Repone,  
*Accedens alter aequae defectus pilis,*  
*Eia, inquit, etc.*

7) *Quem spes delusit, huic querela convenit.* Repone,  
*Quem spes delusit, huic querela haec convenit.*

[Frigidus versus, quem glossatoris foetum puto, cum praesertim fabella ad illustrandum proverbium illud *Carbonem* etc. composita esse videatur. Ed.]

## VII.

8) *Nec opinans, et sinistram fregit tibiam.*

Recte Neveletus, *Necopinus*: ut supra I, 9. *Ipsum accipiter necopinum rapit.* Codices hic: *Nec opia sed sinistram.*

Et, ut incipiebat posse Princeps ingredi,  
 Inducit pretio, precibus, ut tantummodo  
 Ipsó ludorum ostenderet sese die.  
 Qui simul advenit, rumor de tibiçine 20  
 Fremit in theatro: quidam affirmant mortuum,  
 Quidam in conspectum proditurum sine mora.  
 Aulaeo misso, devolutis tonitribus,  
 Di sunt locuti more translatio.  
 Tunc chorus ignotum more docto canticum 25  
 Insonuit, cujus haec fuit sententia:  
 Laetare, incolumis Roma, salvo Principe!  
 In plausus consurrectum est. Jactat basia  
 Tibicen, gratulari fautores putat.  
 Equester ordo stultum errorem intellegit; 30  
 Magnoque risu canticum repeti jubet.  
 Iteratur. Illic homo meus se in pulpito

17) *Et incipiebat Princeps ingredier. Eum*

*Adducit pretio, precibus.*

Versus prior ob malos numeros exhibendus. Codices habent,  
*Et incipiebat princeps abduci reum, ingredi a se reducit pretio.*  
 Repone,

*Erat facturus ludos quidam nobiles:*

*Et; ut incipiebat posse Princeps ingredi,*

*Inducit pretio, precibus.*

25) *Chorus reducto tunc et notum canticum*

*Imposuit, cujus haec fuit sententia.*

Haec neque sensum ullum habent, et immane quantum a codicum  
 scriptura discrepant; ii sic habent:

*Tunc chorus ignotum more docto canticum*

*Imposuit. Repone,*

*Tunc chorus ignotum more docto canticum*

*Insonuit.*

hoc est, Novum de more canticum chorus insonuit. Horat. Carm. II, 13.

*Et te sonantem dura navis,*

*Dura fugae mala, dura belli.*

28) *In plausus consurrectum est. Jactant basia.*

*Tibicen gratulari fautores putat.*

Restitue, quod Codices exhibent,

*In plausus consurrectum est. Jactat basia*

*Tibicen, gratulari fautores putat.*

Nisi enim ipse jactasset basia, qui potuissent equites stultum tibiçinis er-  
 rorem intelligere? Profecto ex gestu illo intelligebant, non alio pacto.

32) *Iteratur illud. Homo meus se in pulpito. Repone,*

*Iteratur. Illic homo meus se in pulpito.*

*Hic et Illis eleganter pro Tunc; ut I, 10.*

Totum profertur; plaudent illudens eques;  
 Rogare populus hunc coronam existimat.  
 Ut vero cuneis notuit res omnibus,  
 Princeps, ligato crure nivea fascia,  
 Niveisque tunicis, niveis etiam calceis,  
 Superbiens honore divinae domus,  
 Ab universis capite est protrusus foras.

35

## FAB. VIII.

## OCCASIO DEPICTA.

Cursu volucris pendens in novacula  
 Calvus, comosa fronte, nudo corpore,  
 Quem si occuparis, teneas, elapsum semel  
 Non ipse possit Jupiter reprehendere,  
 Occasionem rerum significat brevem.  
 Effectus impediret ne segnis mora,  
 Finxere antiqui talem effigiem Temporis.

6

## FAB. IX.

## TAURUS ET VITULUS.

Angusto in aditu Taurus luctans cornibus,  
 Quum vix intrare posset ad praesepia,  
 Monstrabat Vitulus, quo se pacto flecteret.  
 Tace, inquit, ante hoc novi, quam tu natus es.  
 Qui doctiorem emendat, sibi dici putet.

## FAB. X.

## CANIS ET VENATOR.

Adversus omnes fortis et velox feras

*Hic auritulus*

*Clamorem subito totis tollit viribus.*

36) *Princeps ligato crure etc.* Erat hic habitus femineus, communisque cum feminis citharoedorum, tibicinum et mollium virorum nationi. *Heuf.*

38) *Divinae domus.* Caesareae. *Ed.*

VIII.

1) *Cursu volucris.* Repone *Cursu* ille *volucris.*

IX.

3) *Monstrabat vitulus, quo se pacto plecteret.*  
 Recte alii reposuerunt, *Quo se pacto flecteret.*

X.

1) *Adversus omnes fortis veloces feras.*

Canis quum domino semper fecisset satis,  
 Languere coepit annis ingravantibus.  
 Aliquando objectus hispidi pugnae suis,  
 Adripuit aure, sed cariosis dentibus 5  
 Praedam dimisit. Hic tum Venator dolens,  
 Canem objurgabat. Latrans cui contra senex:  
 Non me destituit animus, sed vires meae:  
 Quod fuimus, lauda, si jam damnas, quod sumus.  
 Hoc cur, Philete, scripserim, pulcre vides. 10

## EXPLICIT LIBER V.

Codices *Fortes et veloces*. Recte Heinsius:

*Adversus omnes fortis et velox feras.*

*Fortis* adversus apros, leones: *velox* contra lepores, cervos.

3) *Languere coepit annis ingravantibus*. Repone,

*Languere ut coepit annis ingravantibus.*

5) *Adripuit aurem*. Recte Heinsius *Aure*.

7) *Canem objurgabat*. *Cui latrans contra senex*

Codices verso ordine, *Cui senex contra latrans*. Atqui *Latrare* nusquam primam corripit; cum a gravi vastoque sono verbum ipsum primo fictum fuerit. Neque tamen hilo melior erit versus, si *Latrans* a pede sexto ad quartum reduxeris. Dedit Auctor:

*Canem objurgavit. Cui senex contra Lacon.*

*Lacon, fortis et velox adversus omnes feras*. Horat. Epod. VI.

*Nam qualis aut Molossus aut fulvus Lacon,*

*Amica vis pastoribus;*

*Agam per altas aure sublata nives,*

*Quaecumque praecedet fera.*

Eleganter autem, cum prius *Canis* dixisset, postea intulit *Lacon*: ut Virgil. Aen. XII, 750.

*Inclusum veluti si quando flumine nactus  
 Cervum ac puniceae septum formidine pennae,  
 Venator cursu Canis et latratibus instat:  
 Ille autem insidiis ac ripa territus alta  
 Mille fugit refugitque vias: at vividus UMBER  
 Haeret hians, jam jamque tenet.*

[Elegans conjectura, sed non necessaria. Ed.]

8) *Non te destituit animus, sed vires meae.*

Lege, *Non me destituit.*

9) *Quod fuimus laudas, jam damnas quod non sumus.*

Versus male natus. *Damnus* priore longa in pede quarto, ut supra *Latrans*, metrum corrumpit. Codices ita habent,

*Quod fuimus laudas, jam damnas quod non sumus.*


Recte Gadius:

*Quod fuimus, lauda, si jam damnas, quod sumus.*

## EXPLICIT LIBER V. ET ULTIMUS.

**PUBLII SYRI**  
**ET**  
**ALIORUM VETERUM**  
**SENTENTIAE.**





**TESTIMONIA DE PUBLIO SYRO,  
COLLECTA A RICHARDO BENTLEJO.**

SENECA pater Controv. VII. c. 5.

**M**emini nos quum loqueremur de hoc genere sententiarum, quo jam infecta erant adulescentulorum omnium ingenia, queri de Publio, quasi jam ille hanc insaniam introduxisset. Cassius Severus, summus Publii amator, aiebat, non illius hoc vitium esse, sed illorum, qui illum ex parte, qua transire deberent, imitarentur; transirent quae apud eum melius essent dicta, quam apud quemquam Comicum Tragicumque aut Romanum aut Graecum: ut illum versum, quo aiebat unum versum inveniri non posse meliorem:

*Tam deest avara quod habet, quam quod non habet.*

et illud de eadem re dictum:

*Defunt luxuriae multa, avaritiae omnia.*

et illos versus, qui huic quoque Ter abdicato possent convenire:

*O vita misero longa, felici brevis.*

Et plurimos deinceps versus referebat Publii disertissimos.

SENECA filius Epist. VIII.

Quantum disertissimorum versuum inter mimos jacet? Quam multa Publii non excalceatis, sed cothurnatis, dicenda sunt? Unum ejus versum, qui ad Philosophiam

pertinet, et ad hanc partem, quae modo fuit in manibus, referam, quo negat fortuita in nostris habenda:

*Alienum est omne quicquid optando venit.*

Rursus de Tranquill. animi:

Publius Tragicis Comiciisque vehementior ingeniis, quoties Mimicas ineptias, et verba ad summam caveam spectantia reliquit, inter multa alia cothurno, non tantum sipario fortiora, et hoc ait,

*Cuius potest accidere quod cuiquam potest.*

Hoc si quis in medullas demiserit, et omnia aliena mala, quorum ingens quotidie copia est, sic adspexerit, tamquam illis liberum et ad se iter sit, multo ante se armabit, quam petatur.

Vide plura apud A. Gellium VIII, 14. Macrobius Saturnal. II, 2 et 7. Johannem Saresberiensem VIII, 14; qui *Publium Clodium Syrum* eum nominat: ut **Libertus** fuerit alicujus ex gente **Clodia**.

---

P U B L I I S Y R I  
E T A L I O R U M V E T E R U M  
S E N T E N T I A E.

**A**B álio exspectes, áleri quod féceris.  
 Ab amánte lacrimis rédimas iracúndiam.  
 Abséntem laedit, cum ébrio qui lítigat,  
 Ad cálamitatem quilibet rumór valet.  
 Ad poénitendum próperat, cito qui júdicat. 5  
 Ad trístem partem strénua est suspício.  
 Aegré reprendas, quód finas consuésere.  
 Aliéna nobis, nóstra plus aliis placent.  
 Aliénum aes homini ingénuo acerba est sérvitus.  
 Aliénum est omne, quicquid optandó venit. 10  
 Amáns iratus multa mentitúr sibi.  
 Amáns quid cupiat, scít; quid sapiat, nóñ videt.  
 Amáns quod suspicátur, vigilans sómniat.  
 Amáns, ita ut fax, ágitando ardescít magis.  
 Amáre et sapere, víx Deo concéditur. 15  
 Amáre juveni frúctus est, crimén seni.  
 Amés parentem, si aéquus est; si alitér, feras.  
 Amíci vitia sí feras, facís tua.  
 Amíssum quod nescítur, non amíttitur.

1) *Ab alio spectes, alteri quod feceris.*

Sic Scaliger et Gruterus. Codd. nostri *Exspectes*, atque ita apud Senecam exstat Ep. 94.

10) Seneca, Epist. 8. *Quantum*, inquit, *disertissimorum versuum inter mimos jacet! quam multa Publii, non excalceatis, sed cothurnatis, dicenda sunt! Unum ejus versum, qui ad philosophiam pertinet, et ad hanc partem, quae modo fuit in manibus, referam, quae negat fortuita in nostris habenda:*

*Alienum est omne, quicquid optando venit.*

*Hunc versum a te dici non paullo melius, et adstrictius, memini:*

*Non est tuum, fortuna quod fecit tuum. Ed.*

19) *Dimissum quod nescitur, non amittitur.* Perperam. Quod enim *Dimittitur*, seu a volente sive ab invito, certe a conscio dimittitur, et nesciri non potest. Repone *Amissum quod nescitur*: ut in locuplete domo, *Ubi multa supersunt, Et dominum fallunt, et pro sunt furibus.*

- Amor ánimi arbitrio súmitur, non pónitur. 20  
 Amor éxtorqueri nóñ pote, elabí pote.  
 Amóris vulnus sánat idem, qui facit.  
 Amór míseri cúm timore nóñ potest.  
 Animó dolenti níhil oportet crédere.  
 Anús cum ludit, mórti delíciás facit. 25  
 Apérte mala cum est múlier, tum demum ést bona.  
 Aváro quid mali óptes, nisi Vivás diu?  
 Avárum facile cápias, ubi non síis idem.  
 Avárus animus nullo satiatúr lucro.  
 Avárus, nisi cum móritur, nil recté facit. 30  
 Aut ámat aut odit múlier: nihil est tértium.  
 Auxília humilia fírma consensús facit.  
 BENE cógitata, si éxciidunt, non óccidunt.  
 Bene dórmit, qui non séntit, quam male dórmiat.  
 Benefícia plura récipit, qui scit réddere. 35  
 Benefícium accipere, líbertatem est véndere.  
 Benefícium dando accépit, qui dignó dedit.  
 Benefícium dignis úbi des, omnes óbligés,  
 Benefícium dare qui néscit, injusté petit.  
 Benefícium qui dedísse se dicít, petit. 40  
 Benefícium saepe dáre, docere est réddere.  
 Bene pérdis gaudium, úbi dolor paritér perit.  
 Bene pérdit nummos, júdici quos dát nocens.

20) *Animi arbitrio amor sumitur, non ponitur.* Sic a Scaligero et Grutero. Nostri Codd. alio ordine, numeris melioribus,  
*Amor animi arbitrio sumitur, non ponitur.*

22) *Amoris vulnus idem, qui sanat, facit.*

Hoc ὕστερον πρότερον est. Repone;

*Amoris vulnus sanat idem, qui facit.*

Et sic fere codex Trin. *Amoris vulnus idem est qui facit.*

27) *Avaro quid mali optes, nisi ut vivat diu.*

Tolle *Ut* fide codicis Cajani, versu gratulante, et lege *Vivas.*

39) *Beneficium qui dare nescit, injuste petit.*

Sic et Codices nostri; sed reponē *Dare qui nescit.*

43) *Bene perdit nummos, iudici cum dat nocens.*

Rectius codex Leidensis,

*Bene perdit nummos, iudici quos dat nocens.*

[Sed quis perdit? Reponendum puto:

*Bene perdit nummos, iudici qui dat nocens. Ed.]*

Bene vixit is, qui potuit cum voluit mori.  
 Bis emori est, alterius arbitrio mori. 45  
 Bis gratum est, quod dato opus est, ultro si offeras.  
 Bis interimitur, qui suis armis perit.  
 Bis peccas, cum peccanti obsequium accommodas.  
 Bis vincit, qui se vincit in victoria.  
 Blanditia, non imperio, fit dulcis Venus. 50  
 Bona comparat praesidia misericordia.  
 Bona fama in tenebris proprium splendorem obtinet.  
 Bona mors est omnis, vitae quae exstinguit mala.  
 Bona nemini hora est, ut non alicui sit mala.  
 Bonarum rerum consuetudo est pessima. 55  
 Bonitatis verba imitari, major malitia est.  
 Bonorum crimen est officiosus miser.  
 Bonum ad virum cito moritur iracundia.  
 Bonum est fugienda adspicere in alieno malo.  
 Brevis ipsa vita est, sed malis fit longior. 60

CAECI sunt oculi, cum animus alias res agit.  
 Careret periculo, qui, etiam cum est tutus, cavet.  
 Casta ad virum matrona parendo imperat.  
 Casus quem saepe transit, aliquando invenit.  
 Cito ad naturam ficta reciderint suam. 65  
 Cito ignominia fit superbi gloria.

46) *Bis est gratum, quod opus est, ultro si offeras.*  
 Invenuste cadit accentus in posteriorem τξ Gratum, cum prior  
 longa sit. Nostri Codd. *Bis gratum est.* Repone,  
*Bis gratum est, quod dato opus est, ultro si offeras.*  
 Nisi addideris *Dato*, sententia quoque friget.

47) Meliores erunt numeri, si rescribas,  
*Bis interimitur, armis qui suis perit. Ed.*

53) *Bona mors est homini, vitae quae exstinguit mala.* Abest a Cod.  
 Trin. *Homini, pro quo Cottonianus Animi. Lege,*  
*Bona mors est omnis, vitae quae exstinguit mala.*

57) I. e. Cum videmus officiosum aliquem, sed miserum (i. e. pau-  
 perem, adeo ut officia praestare prae inopia non possit), vitupe-  
 ramus *bona*, vel divitias, quod hominibus saepe superbis in par-  
 tem cedant, huic officioso et benevolenti desint. Ceterum rescribi  
 malim, *Bon. cr. officiosus est miser. Ed.*

Comés facundus in via pro vehículo est.  
 Consueta vitia ferimus, nova reprimimus.  
 Contra impudentem, stulta est nimia ingenuitas.  
 Cotidie damnatur, qui semper timet. 70  
 Cotidie est deterior posterior dies.  
 Crimen relinquit vitae, qui mortem appetit.  
 Crudelum medicum intemperans aeger facit.  
 Crudelis est, non fortis, qui infantem necat.  
 Crudelis est in re adversa objurgatio. 75  
 Crudelis lacrimis pascitur, non frangitur.  
 Cui nolis saepe irasci, irascaris semel.  
 Cui omnes bene dicunt, possidet populi bona.  
 Cui plus licet quam par est, plus vult quam licet.  
 Cui semper dederis, ubi negas, rapere imperas. 80  
 Cuius dolori remedio est patientia.  
 Cuius potest accidere, quod cuiquam potest.  
 Cum inimico nemo in gratiam tuto redit.  
 Cum vitia profunt, peccat qui recte facit.  
 DAMNARE est, objurgare cum auxilio est opus. 85  
 Damnum appellandum est, cum mala fama lucrum.  
 Dari bonum quod potuit, auferri potest.  
 Deliberando saepe perit occasio.  
 Deliberandum est diu, quod statuendum est semel.  
 Despicere oportet, quicquid possis perdere. 90  
 Didicerunt flere feminae in mendacium.  
 Dies quod donat timeas: cito raptum venit.  
 Difficilem oportet aurem habere ad crimina.

68) *Consueti vitia ferimus, non reprehendimus.*

Sic et nostri Codd. sed sine aculeo. Dederat Auctor:  
*Consueti vitia ferimus, nova reprimimus.*

81) *Cuius dolori remedium est patientia.*

Sic et nostri: sed reponit *Remedio.*

90) *Despicere oportet, quod possis deperdere.*

Numeri inveniuntur sunt. Repone:

*Despicere oportet, quicquid possis perdere.*

Ita Cod. Trin. et Sidn. nisi quod habeant *Aspicere.*

93) *Difficilem habere oportet aurem ad crimina.*

Tres ex nostris, *Oportet habere.* Repone:

*Difficilem oportet aurem habere ad crimina.*

- Discipulus est prioris posterior dies.  
 Discordia fit carior concordia. 95  
 Diu apparandum est bellum, ut vincas celerius.  
 Dolor decrescit, ubi quo crescat non habet.  
 Ducis in consilio posita est virtus militum.  
 Dum vita grata est, mortis conditio optima est.  
 ET deest et superest miseris cogitatio. 100  
 Etiam capillus unus habet umbram suam.  
 Etiam celeritas in desiderio mora est.  
 Etiam innocentes cogit mentiri dolor.  
 Etiam in peccato recte praestatur fides.  
 Etiam oblivisci, qui sis, interdum expedit. 105  
 Etiam qui faciunt, oderint injuriam.  
 Excelsis multo facilius casus nocet.  
 Ex vitio alterius sapiens emendat suum.  
 FACILITAS animi ad partem stultitiae rapit.  
 Factum tacendo, crimen facias acrius. 110  
 Fatetur facinus, is qui iudicium fugit.  
 Felix improbitas optimorum est calamitas.  
 Feras facilia, ut difficilia perferas.  
 Feras, non culpes, quod mutari non potest.  
 Fidem nemo unquam perdit, nisi qui non habet. 115  
 Fidem qui perdit, perdere ultra nil potest.

[*Crimina*, hoc est, criminationes, calumniae aliorum, ab improbis sparsae. Ed.]

- 100) *Et deest et superat miseris cogitatio.*  
 Sic et Nostris: Repone tamen *Superest*.  
 105) *Etiam oblivisci, quid sis, interdum expedit.*  
 Recte codex Cajanus, *Qui sis*.  
 106) *Etiam qui faciunt, oderunt injuriam.*  
 Nostris quoque *Oderunt*: Scaliger *Odio habent*. Repone,  
*Etiam qui faciunt, oderint injuriam.*  
 hoc est, *Odisse vellent, si ab alio fieret.*  
 113) *Fer difficilia, facilia levius perferas.*  
 Sic Gruterus, metro repugnante. Scaliger hoc modo:  
*Fer difficilia, ut et facilia perferas.*  
 Atque ita Sidneianus, nisi quod ante *Perferas*, inserat *Levius*.  
 Cottonianus autem:  
*Feras facilia, ut facilius levius perferas.*  
 Credo ab Auctore fuisse:  
*Feras facilia, ut difficilia perferas.*



Fidém qui perdit, quó se servet réliquo?  
 Fidés, ut anima, unde ábiit, eo numquám redit.  
 Formósa facies múta commendátio est.  
 Fortúna cum blanditur, captatúm venit. 120  
 Fortúna ad omne plús, quam consiliúm, valet.  
 Fortúnám citius réperias, quam rétimeas.  
 Fortúna, nimium quém fovet, stultúm facit.  
 Fortúna obesse nullo contenta ést semel.  
 Fortúna quo se, eódem et inclinát favor. 125  
 Fortúna vitrea ést; túm, cum splendet, frángitur.  
 Frugalitas miséria ést rumoris boni.

121) *Fortuna plus homini quam consilium valet.*

Codices nostri: *Fortuna homini plus: vel Homine.* Repone:

*Fortuna in re omni plus quam consilium valet.*

vel,

*Fortuna ad omne plus quam consilium valet.*

127) *Frugalitas inserta est rumoris boni.*

Hic versiculus Publíi Syri ést, a Gellio Macrobioque laudatus. *Inserta*, inquit Scaliger, ést *Emblema*, ut in annulo: vel *Instita*, ut in veste; Frugalitas ergo ést ornamentum vel accessio bonae famae. Atqui illud *Inserta* nusquam alibi Latinis cognitum: nec sententia illa quicquam habet Publíani coloris. Plerique codd. habent,

*Frugalitas incerta ést rumoris boni.*

Atque hanc lectionem Salmasius ad Solinum probat; quia Frugalitas nonnumquam Avaritiae famam habet; ab his laudatur, ab illis culpatur. Nec tamen aut bene Latine hoc dicitur; aut ad Publíi acumen et elegantiam attingit. Repone, quod in codice Macrobbii Cottoniano mille annorum reperi,

*Frugalitas miséria ést rumoris boni.*

Frugaliter nempe vivere, perinde ést ac parce, duriter, misere vivere; nisi quod cum rumore fit bono. Ita hic accipitur *Miséria*, ut Terent. Heaut. III, 2.

*Sed habet patrem quendam avidum, miserum atque aridum.* et Plaut. *Parce ac misere victitare. Miséria rumoris boni*, ut *Res ingentis exempli* etc. Porro in hac sententia non laudari, sed infamari Frugalitatem, testem dico Sarisberiensem, ante annos DCC saeculi sui doctissimum, Policrat. VIII, 13. *Luxuriam persequi videor ad laudem Frugalitatis: mihique ab insulsis, inepte viventibus et indiscrete loquentibus, illud Publíi Clodii subsannando ingeritur, quia Frugalitas boni rumoris miséria ést.* Sic ibi codices, poscente etiam sententia. Editores tamen ibi quoque dederunt *Inserta*.

[Lectionem, Bentlejo probatam, etiam Adam Sartorius exhibet, quamquam trajectis verbis, et ut diversam plane sententiam,

*Frugalitas rumoris boni miséria ést.*

Vellem, ubi repererit, indicasset. Ed.]

**Furór fit laesa saépius patiéntia.**

GRATUM facit fortuna, cui nemo invidet.

Grave crimen, etiam leviter cum dictum est, nocet. 130

Gravióra quaedam sunt periculis remedia.

Gravíssimum est impérium consuetúdinis.

Graviús nocet, quodcumque inexpertum accidit.

HABE'T suum venénium blanda oratio.

Herédem ferre utílius est, quam quaérere. 155

Herédis fletus sub persona risus est.

Heu quám difficilis glóriæ custódia est!

Hominem experiri multa, paupertás jubet.

Hominí consilium tunc deest, cum multa invenit.

Homo toties moritur, quoties amittit suos. 140

Honéste servit, qui succumbit témpori.

Honós honestum decorat, inhonestum notat.

IGNO'SCITO saepe alteri, numquam tibi.

Illó nocens se damnat, quo peccat die.

Impúne pecces in eum, qui peccat prior. 145

In amóre semper mendax iracúndia est.

In calamitóso risus etiam injúria est.

In nállum avarus bonus est, in se péssimus.

Inferior discit, quidquid peccat superior.

129) *Facit gratum fortuna, quem nemo videt.*

Sic Scaliger et Gruterus: nec aliter codices nostri; nisi quod unus

Quam. Repono:

*Gratum facit fortuna, cui nemo invidet.*

131) *Graviora quaedam sunt remedia periculis.*

Concinnius hoc modo:

*Graviora quaedam sunt periculis remedia.*

145) *Impune in eum pecces, qui peccat rarior.*

Ita vulgo fertur, aut nulla sententia, aut improbissima, Codd.

nostri *Pecces in eum.* Repono:

*Impune pecces in eum, qui peccat prior,*

Terentius Profl. Eunuchi.

Tum si quis est, qui dictum in se inclementius

Existimavit esse, sic existimet:

Responsum, non dictum esse; quia laesit prior.

149) *Inferior rescit, quicquid peccat superior.*

Sic Scaliger et Gruterus. Sed illud *Rescit* in nullo codice compa-

ret. Ex nostris duo *Horrescit*, *Cajanus Crescit*, *Leidenfis Nescit*.

*Gottonianus Casat.* Repono,

- In vīdicando criminosa est celeritas. 150  
 Ingrátus unus ómnibus miseris nocet.  
 Inimicum quamvis hūmitem docti est métuere.  
 Injūriarum rémedium est obliuio.  
 Inópiae defunt paúca, avaritiae ómnia.  
 Infánus omnis fúre credit caéteros. 155  
 Instrúcta inopia est in diuitiis cúpiditas.  
 In rébus dubiis plúrima est audácia.  
 Inuidia tacite, sed inimice iráscitur.  
 Inuidiam ferre aut fórtis aut felix potest.  
 Invítum cum retineas, exire incites. 160  
 Irátum breuiter vítes, inimicum diu.  
 Irátus cum ad se rediit, sibi tum iráscitur.  
 Irátus etiam fácinus consiliúm putat.  
 Ita créde amico, né sit inimicó locus.  
 Iter ést, quacumque dat prior vestígium. 165  
 Jucúndum nihil est, nisi quod reficit várietas.  
 Judéx damnatur, cum nocens absoluitur.  
 LAUS nóua nisi oritur, étiam vetus amittitur.  
 Legém nocens verétur, Fortunam innocens.  
 Lex úniverfi est, quae jubet nasci ét mori. 170  
 Luxúriae defunt múlta, avaritiae ómnia.  
 MALA ést medicina, ubi áliquíd naturaé perit.

*Inferior discit, quicquid peccat superior.*

*Ejusdem sententiae est, quod postea sequitur,*

*Ubi peccat aetas major, male discit minor.*

150) *In iudicando criminosa est celeritas.*

Scaliger et Gruterus *Judicando*: sed Codices nostri magno consensu *Vindicando*. Recte: Horat. Epist. I, 2, 59.

Qui non moderabitur irae

— Infectum volet esse dolor quod suaserit, et mens

Dum poenas odio per vim festinat inulto.

At illud alterum *Judicando* supra habuimus melioribus verbis:

*Ad poenitendum properat, cito qui iudicat.*

157) *In rebus dubiis plurima est audacia.*

Sic et nostri Codices: sed legendum *Plurimi est*; hoc est, Plurimum valet.

160) *Invitum cum retineas, exire incitas.*

Rectius codex Trin. *Exire incites.*

164) *Melius esset:*

*Ita crede amico, ut ne sit inimico locus. Ed.*

- Maledictum interpretando facias acrius.  
 Malefacere qui vult, numquam non causam invenit.  
 Male geritur, quicquid geritur Fortunaé fide. 175  
 Male secum agit aeger, medicum qui heredem facit.  
 Malevolus semper sua natura vescitur.  
 Malignos fieri maxime ingrati docent.  
 Malo in consilio feminae vincunt viros.  
 Malum consilium consulti est pessimum. 180  
 Malum est consilium, quod mutari non potest.  
 Malus bonus ubi se simulat, tunc est pessimus.  
 Malus est vocandus, qui sui causa est bonus.  
 Minimum eripit Fortuna cui minimum dedit.  
 Minus decipitur, cui negatur celeriter. 185  
 Misera est voluptas, ubi periculi memoria est.  
 Miserrima est fortuna, quae inimico caret.  
 Muliebris lacrima condimentum malitiae est.  
 Mulier cum sola cogitat, male cogitat.  
 Mulier, quae multis nubet, multis non placet. 190  
 Multis minatur, qui uni facit injuriam.  
 NECESSSE est multos timeat, quem multi timent.  
 Negandi causa avaro numquam deficit.  
 Negat sibi ipse, qui quod difficile est petit.  
 Nemo, qui coepit ex se, risum praebuit. 195  
 Nemo immature moritur, qui moritur miser.  
 Nihil eripit Fortuna, nisi quod et dedit.  
 Nil peccent oculi, si oculis animus imperet.  
 Nil turpius, quam vivere incipiens senex.  
 Nimium altercando veritas amittitur. 200  
 Nisi per te sapias, frustra sapientem audias.  
 Nisi qui scit facere, insidias nescit metuere.  
 Nisi vindices delicta, improbitatem adjuves.  
 Nocens precatur, innocens irascitur.  
 Non est tuum, Fortuna quod fecit tuum. 205  
 Numquam periculum sine periculo vincitur.  
 OBSEQUIUM nuptae cito fit odium pellicis.

183) *Malus est vocandus, qui sua causa est bonus.*

Sic et codices: sed lege *Sui causa*.

- Occasio aegre offertur, facile amittitur.  
 Omnés aequo animo párent, digni ubi imperant.  
 O víta misero lónga, felici brevis! 219  
 PARENS iratus in se est crudelíssimus.  
 Pars bñefici est, quod pétitur, si pulcré neges.  
 Pars bñefici est, quod pétitur, si citó neges.  
 Patiéndo multa, véniunt quae nequeás pati.  
 Paucórum improbitas, úniversis cálamitas. 216  
 Peccátum extenuat, qui celeriter córrigit.  
 Pejóra querulo cógitat mutús dolor.  
 Perfúgere ad inferiorem, seipsum est trádere.  
 Pericla timidus étiam quae non súnť videt.  
 Populi ést mancipium, quisquis patriae ést útilis. 220  
 Post cálamitatem mémoria alia ést cálamitas.  
 Poténs misericors pública ést felicitás.  
 Poténti irasci, sibi periclum ést quaérere.  
 Praeséns ést semper, qui ábsens etiam ulcísctur.  
 Priús negatum póst fecisse, ést fallere. 225  
 Probús libertus sine natura ést filius.  
 Pudór dimissus núnquam redit in grátiam.  
 Pudór doceri nón potest, nasci potest.  
 Pupillus hominis ávidi ést aetatis brevis.

- 214) Sententia aut nulla, ni fallor, aut inepta. Reponam:  
*Patiendo multa, haud venient quae nequeas pati. Ed.*  
 217) *Pejora multa cogitat mutus dolor.* Repone:  
*Pejora querulo cogitat mutus dolor.*  
 Ovid. Trist. III, 8.  
*Et numquam queruli causa doloris abest.*  
 225) *Prius negare, post fecisse, fallere est.*  
 Sic a Grutero est. Repone:  
*Prius negatum post fecisse, est fallere.*  
 229) *Pupillus est avarus aetatis brevis.*  
 Ita Scaliger et Gruterus, nullo sensu. MStus apud Gruterum: *Ho-*  
*mines avaros pupillos aetatis esse brevis, ubi corrigendum, Homi-*  
*nis avari pupillos.* Et Jambus sic constituendus,  
*Pupillus hominis avidi, est aetatis brevis.*  
*Avidus idem qui Avarus: ut Terent.*  
*Sed habet patrem quendam avidum, miserum, atque aridum.*  
 Persius Sat. II, 12.  
*Pupillumve utinam, quem proximus heres*  
*Impello, expungam: namque est scabiosus et acris*  
*Bile tunc.*

Quicquid futurum est summum, ab imo nascitur. 230  
 Qui pro innocente dicit, satis est eloquens.  
 Qui se ipse laudat, cito derisorem invenit.  
 Quod aetas vitium posuit, aetas auferet.  
 Quod quisque amat, laudando commendat sibi.  
 Quod vult habet, qui velle quod satis est potest. 235  
 RARUM esse oportet, quod diu carum velis.  
 Remedium est frustra contra fulmen quaerere.  
 SAPIENS quod petitur, ubi tacet, breviter negat.  
 Secreto amicos admone, laudá palam.  
 Sibi ipsa improbitas cogit fieri injuriam. 240  
 Sibi ipse dat supplicium, quem admitti pudet.  
 Solet esse in dubiis pro consilio temeritas.  
 TAM deest avaro quod habet, quam quod non habet.  
 Timidus vocat se cautum, parcum sordidus.  
 UBI peccat aetas major, male discit minor. 245  
 Veterem ferendo injuriam, invites novam.

### VERSUS TROCHAICI.

ALEATOR, quanto in arte est melior, tanto est nequior.  
 Benevoli conjunctio animi maxima est cognatio.  
 Conscientia animi nullas invenit linguae preces.

232) *Qui seipsum laudat, cito derisorem invenit.*

*Lege, Qui se ipse laudat.*

237) *Remedium, fraus est, contra flumen quaerere.*

Ambigit Gruterus de lectionis hujus sinceritate. Et merito quidem; nam sensu cassa est. Reponendum:

*Remedium frustra est contra fulmen quaerere.*

248) *Benevoli conjunctio animi maxima est cognatio.*

Ita nostri Codices. Male Gruterus inter Jambicos posuit:

*Benevolus animus maxima est cognatio.*

Et iterum:

*Conjunctio animi maxima est cognatio.*

249) *Conscientia amici nullius linguae invenit preces.* Sic a Grutero est; sed neque sententia, neque numeri sibi constant. Cod. Trin.

*Nullus invenit linguae.* Reponere:

*Conscientia amici nullas invenit linguae preces.*

Phaedrus III. Prolog.

*Stulte nudabit animi conscientiam,*

Sensus fere idem est, qui supra:

*Nocens precatur, innocens traescitur.*

Dixeris maledicta cuncta, ingrátum cum hominem dixeris.  
 E'st honesta túrpitudo pró bona causá mori. (250  
 E'xulis, cui núsquam domus est; sine sepulcro est mórtuus.  
 Féminae tutelam gerere, désperare est ótium.  
 Frústra, cum ad senectam est ventum, répetas adolescentiam.  
 Fúlmen est, ubi cum potestate hábitat iracúndia. 255  
 Hábet in adversis auxilia, qui in secundis cómodat.  
 Heú, dolor quam miser est, qui in tormento vocem non habet!  
 Heú, quam miserum est ab eo laedi, de quo non ausis queri!  
 Hómo, qui in homine calamitoso est misericors, meminit sui.  
 Improbe Neptúnium accusat, qui iterum naufragiúm facit.  
 In malis speráre bene, nisi innocens, nemó solet. (260  
 Iracundiám qui vincit, hóstem superat máximum.  
 Irritare est calamitatem, cum te felicem vocas.  
 Ita amicum habeas, posse ut facile fieri hunc inimicúm putes.  
 Mórtuo munús qui mittit, nil dat illi, adimit sibi. 265  
 Néscias quid óptes, aut quid fugias; ita ludit dies.  
 Nulla, quae multós amicos récipit, angusta est domus.  
 Nulla tam bona est fortuna, de qua nil possis queri.  
 Núsquam melius morimur homines, quam ubi libenter  
 viximus.  
 O'bjurgari in calamitate, grávius est quam calamitas. 270  
 Quánto seriús peccatur, tanto incipitur túrpius.  
 Saepe dissimulare fatius, quam vel ulcisci, fuit.  
 Thésaurum in sepulcro ponit, qui senem heredem facit.

253) *Feminarum curam gerere, desperare est otium.*

Ita Scaliger et Gruterus: sed codices nostri omnes *Feminae, tres Naturam* pro *Curam*. Repone:

*Feminae tutelam gerere, desperare est otium.*

257) *Heu, dolor quam miser est, qui in tormentis vocem non habet.*

Melius nostri omnes *Tormento*.

264) *Ita habeas amicum, posse ut fieri inimicum putes.* Laudatur ut Publii Syri, Gellio XVII, 14. Macrobio Saturn. II, 7. Johanni Saresberienfi VIII, 14. Omnes tamen alio ordine *Ita amicum habeas*. Porro Gellius et codex Macrobianus vetus habent *Hunc post Fieri*. Utrumque firmant codices nostri *Sententiarum*. Repone ex Cod. Cajano:

*Ita amicum habeas, posse ut facile fieri hunc inimicum putes.*

270) *Objurgare in calamitate, gravius est quam calamitas.*

Sic Gruterus: sed corrigendum *Objurgari*.

272) *Saepe dissimulare, quam vel ulcisci, fatius fuit.* Sic Scaliger et Gruterus. Repone numeris melioribus:

*Saepe dissimulare fatius, quam vel ulcisci, fuit.*

F I N I S.



